Ex Libris Fris Antonii
cum benedictione Superior
Ano 1775. Die 18 Julii

DESERTUM ASCETICUM,

Terræ desiderabilis.

In tres viàs animæ meditanti,

Nempè

PURGATIVAM, ILLUMINATIVAM, ET UNITIVAM.

Cum suis Meditationibus, & Examinibus, Considerationibus, & Devotionibus,

Olim

Per R. P. FERDINANDUM MEISLSEDER Ordinis S. PAULI primi Eremitæ Novitiorum Magistrũ & Monasterii Wondorffensis S. Wolffgangi supra Sopronium Suppriorem.

Dispositum

Nunc verò

HONORI & VENERATIONI

SANCTÆ

CATHARINÆ

Virginis & Martyris Philosophorum Patronæ

DEDICATUM.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis.

Dum CONCLUSIONES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

Ad Mentem

ANGELICI ECCLESIÆ DOCTORIS

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

In Celeberrimo Clari Montis Częstochoviensis Monasterio Annô Domini 1775. *Diebus Mensis Julii publicè propugnaret*

Religiosus Fr. Gerardus Mierzyński *Ordinis Monachorum S. PAULI primi Eremitæ Professus & Philosophus consummatus*

Præside

R. P. NEPOMUCENO PŁACHECKI

Ejusdem Ordinis AA. LL. & Philosophiæ Doctore ac Professore Actuali,

CON-

CONCLUSIONES
EX
Universa Philosophia

I. DAtur Logica Artificialis. II. Quæ secundùm omnes sui partes est simpliciter scientia. III. Et quidem solum Speculativa. IV. Ars vero similitudinarie & improprie talis. V. Ad omnes scientias formaliter sumptas tam in Statu perfecto quam imperfecto ita est simpliciter & Physice necessaria ut sinè ea non possit haberi vere proprie & formaliter assensus scientificus. VI. Ad artefactum aliarum Scientiarum concurrit effective. VII. Habitus Logicæ docentis & utentis est unus & idem realiter sola ratione ratiocinata distinctus. VIII. Objectum materiale Logicæ sunt res imo intentionaliter cognitæ. IX. Objectum vero Formale illius est secunda intentio objectiva. X. Unde Datur ens rationis habens tantum esse objectivum in intellectu. XI. Quod Intellectus Divinus facere nequit. XII. Distinctio formalis ex natura rei inter Gradus Metaphysicos non admittitur. XIII. Sed inter hos Distinctio Virtualis intrinseca datur. XIV. Hinc etiam inter eosdem dantur præcisiones objectivæ. XV. Datur a parte rei Universale Physicum, sive dantur a parte rei naturæ quæ possunt denominari Universales. XVI. Universale vero formaliter tale sive Logicum sive Metaphysicum tantum fit per intellectum. XVII. Universale tam Metaphysicum quam Logicum in prædicatione actuali manet formaliter Universale XVIII. Universale adæquate dividitur in quinquè prædicabilia scilicet Genus Speciem, Differentiam Proprium & Accidens. XIX. Genus non potest salvari in unica Specie. XX. Natura Angelica vg Raphaelis prout a nobis inadæquate concepta potest fieri Logice Universalis secundum rationem tantum. XXI. DEUS non potest poni directe in prædicamento Substantiæ. XXII. Relatio prædicamentalis distingvitur realiter a suo fundamento & termino. XXIII. Eadem numero propositio quæ supponitur semel vera non potest transire in falsam & vicissim. XXIV. Ex duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti ante Decretum DEI neutra est determinate vera, aut falsa. XXV. Actus Scientiæ & opinionis non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem Objecto secundum idem. XXVI. Prima principia Physica intrinseca entis mobilis Seu Corporis naturalis in fieri sunt tria: Materia Forma &

Privatio; In facto esse sunt tantum duo: Materia & Forma. XXVII. Materia prima secundum se considerata non includit actum entitativum. XXVIII. Non habet propriam existentiam, sed existit per existentiam Formæ & Compositi. XXIX. Nec Divinitus potest existere sine Forma Substantiali. XXX. Appetit autem appetitu innato tam Formas substantiales perfectiores quam imperfectiores æqualiter. XXXI. Formæ substantiales materiales in generatione substantiali educuntur de potentia Materiæ. Anima vero rationalis non educitur sed creatur immediate a DEO. XXXII. Repugnat non tantum naturaliter sed etiam Divinitus ut duæ vel plures Formæ Substantiales simul informent eandem numero materiam. XXXIII. Non datur in viventibus Forma Corporeitatis, sed totum vivens corporeum constituitur per ipsam Animam quæ tribuit illi Gradus tam Corporis quam viventis. XXXIV. Imo nec Formæ partiales substantiales totali subordinatæ. XXXV. Materia prima & Forma Substantialis supposita actione agentis, suppositisq; dispositionibus ab eo introductis immediate per se ipsas uniuntur. XXXVI. Totum Compositum Physicum substantiale non distingvitur realiter a partibus simul sumptis & unitis. XXXVII. Per artē Chymicam verū aurū effici non potest. XXXVIII. Repugnat eundem numero effectum a duabus Causis in actu secundo totalibus ejusdem generis & ordinis sive simul sive divisim posse produci. XXXIX. Nulla substantia Creata est immediate operativa. XL. DEUS immediate concurrit ad omnes actiones & effectus causarum secundarum. XLI. Et præmovet eas Physice ad agendum adeoq; datur præmotio Physica. XLII. DEUS præmovendo causas liberas non lædit earum libertatem. XLIII. Et licet præmovet ad materiale peccati, nullatenus tamen ad formale illius. XLIV. Repugnat in creatis infinitum Cathegorematicum. XLV. Sicut & Creatura perfectissima. XLVI. Replicatio nec naturaliter nec Supernaturaliter dari potest, vi cujus idem Corpus sit in duobus locis adæquatis circumscriptive. XLVII. Possibilis tamen est Supernaturaliter penetratio seu simultanea positio duorum Corporum in eodem loco. XLVIII. Impossibile est mundum tum quo ad entia permanentia, tum quo ad entia successiva potuisse existere ab æterno. XLIX. Anima rationalis est incorruptibilis & immortalis. L. Existentia in creatis realiter distingvitur ab essentia.

Ad M. D. Gloriam B.V.M. Honorem S. CATHARINÆ VIRGINIS & Martyris & OO. SS. cultum ac Venerationem.

MONITA COMMUNIA, AD EXERCITIA PIE OBEUNDA PERQUAM UTILIA.

§. I.

Quid denotetur nomine Exercitiorum?

EXercitiorum ſpiritualium nomine aliud nil intelligitur, quàm modus quilibet examinandi conſcientiam, modus exercendi tres potentias ſpirituales; memoriam, recolendo hiſtoriam Paſſionis Chriſti, Nativitatis, Sanctiſſimæ vitæ ejuſdem, aut alterius alicujus Sancti, casûs Angelorum, ejectionis Adami è Paradiſo, &c. Intellectum, aliquid educendo ex conſideratione memoratæ hiſtoriæ pro ſalute animæ, pro gloria DEI, pro vitæ perfectione, &c. E. G. ex conſideratione paſſionis Chriſti intellectus judicabit Chriſtum redamandum eſſe à nobis, imitandum in tolerantia adverſitatum, deteſtandam atrocitatem Judæorum, crimina, pro quibus patitur, eſſe deploranda, lachrymis ſi fieri poſſet ſanguineis, &c. Voluntatem exercemus, dum ab intellectu judicata, & bene expenſa proſequimur, vel deteſtamur, amplexamur, aut fugimus: ut cùm patientiam Chriſti amplectimur, ſævitiam Judæorum reprobamus.

§ 2.

De præſtantia Sacrorum Exercitiorum.

POſt ipſa Eccleſiæ ſacræ inſtituta à Chriſto Salvatore Sacramenta, unum è medijs efficaciſſimis eſſe dixerim ad eximium

ſanctitatis aliquem pertingendi gradum hujus deſerti exercitia, de quibus teſtatur Paulus III. Pontifex maximus in ea Bulla, quâ ſacra Divi Patris Ignatij approbavit exercitia, ubi ea nominat: *Tanquam pietate, & ſanctitate plena; & ad ædificationem, & ſpiritualem profectum fidelium valdè utilia, & ſalubria, per quæ uberes in Eccleſia DEI fructus ubiq; gentium producuntur.* Experti ſunt hoc multi Sanctorum, quorum inter S. Carolus Borromæus, qui non vice unâ per anni curſum, ſed ſæpius eadem peragere conſuevit. Quapropter ſi tanti habuerunt ea Sancti, in ijſq; verſati ſunt, quid tibi agendum erit? qui conſcientiam tuam peccatorum fœditate quotidiè deturpas, & commaculas. Erit proinde operæ pretium, tibique plurimùm conſultum, conſcientiam tuam annuatim, vel ſæpius diſcutere, ac medelam adhibere, antequam ad diſtrictum judicium ultimi diei evoceris, præcipuè cùm apud innumeros homines etiamnum quotidiana teſtetur experientia, quantum vitæ mutationis, ac emendationis hæ meditationes cauſaverint, quam uberes fructus pœnitentiæ in peccatoribus produxerint, quàm ardens deſiderium Deo ſerviendi, quàm execrabile odium peccatorum, quam ſana conſilia generaverint. Quid dicam de interna conſcientiæ pace, & tranquillitate, quâ perfunduntur ij, qui in hoc ſacro deſerto peccata ſua cum amaritudine animæ expiant: verbo, exercitia hæc ſunt quædam prægustatio futurorum cœleſtium gaudiorum, ut dicere auſim: *Guſtate, & videte, quàm ſuavis eſt Domiaus.* Pſalmo 33.

§. 3.

Quis effectus? Quiſq; finis?

HÆ exercitationes erudiunt nos, quâ ratione conſcientiam noſtram purgare, quomodo meditari, quomodo ore, & corde orare, omniſque generis functiones noſtras, maximè verò pias, & religioſas ſecundùm ſtatum noſtrum, & vocationem dirigere, ac cum fructu tractare valeamus. Sunt etenim ſecundum S. Ignatium: *Quædam documenta ex ſacris Scripturis, & vitæ Spiritualis experimentis elicita, & in ordinem ad piè movendos fidelium animos aptiſſimum redacta, quæ ijſdem Chriſti fidelibus ad ſpiritualem conſolationem, & profectum magnopere utilia, & ſalubria eſſe, non ſolùm famâ, ſed etiam experimento compertum eſt.*

Fi-

Finis alius nec eſt, nec eſſe poteſt, quàm perfecta Spiritûs renovatio ad exemplar Chriſti, ejuſque imitationem vitæ: juxta illud D. Pauli: *Exuite veterem hominem cum actibus ſuis, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in Juſtitia, & ſanctitate veritatis*. Epheſ. 4. Cùm autem homo ſit imago Dei, tabula verò, ſeu imago obſcurata, ac deſpurcata, ſi renovanda eſt, primo elui debet, pulveres item abſtergi, maculæ ablui, deinde detritti colores reſarciri, tùm, quæ ſic reparata eſt, lucidis, vivis, ac ſplendidis coloribus illini; Tu itaque cùm imago ſis Dei, ut conformis ſis Creatori tuo, debes omnes animæ ſordes abluere per fervidos actus contritionis, doloris, & nitido cœleſtis charitatis pigmento obducere, dein novos, lucidos, ac recentes colores adhibere, imaginem efformare ijs, quibus ipſum prototypon. Demùm ita omnia liniamenta exprimere, ſitûs proportionem, ut unum eſſe, ac ſimile videaris cum Deo. Hinc eſt, quòd S. Ignatius meditationes ſuas in tres *diviſerit* partes, ſeu vias. In via purgativa propoſuit meditationes de quatuor noviſſimis, de peccatis, ut ea deteſtaremur, & per intimum cordis dolorem ablueremus. In via illuminativa virtutes de vita Chriſti, ut eas ſeriò imitaremur, noſque renovaremus. In via denique unitiva contemplationes de glorioſa Reſurrectione, Aſcenſione, beneficijs, & amore, ut per hæc eidem tenerrimè uniremur, quibus omnibus præpoſuit fundamentum, conſiderationem nempè ultimi finis ad quem homo creatus eſt.

§ 4.

Quid pridiè agendum?

IPſo die ſacri Deſerti ingreſsûs deliges tibi aliquem, vel plures è Sanctorum numero Patronos, quibus omnia opera diei commendabis, eoſque impensè precaberis pro felici ſucceſſu deſerti tui, & Spiritûs renovatione, electio ſit pro affectu, neque dubito, quin S. Ioſephus, S. Paulus primus Eremita, S. Ioannes Baptiſta, S. Antonius, & ſimiles excellenti ſanctitate Cœlites, aliquem in hac electione locum habituri ſint, nec immemor ſis Sancti diei illius, quiſquis ille ſit. Fiducia etiam eſt aſſumenda maxima de infinita bonitate, & miſericordia Divina, quæ cum faſſa ſit, ſe omnes velle ſalvos facere, quæquè ex eadem abyſſo

clementiæ etiam errantes revocat, profugos insequitur, quantò magis tibi suam largietur gratiam, & ad suos admittet amplexus. Exercitia autem non ideò sunt aggredienda, ut suavitatem aliquam, ac Spiritûs dulcedinem in ijs experiaris, sed eo solùm fine, ut agnoscas, quàm longè te à Deo separaveris, quàm graviter Deum offenderis, & ut discas affectum tuum ab omnibus creatis avellere, & Deo tuo consignare, vitium particulare funditùs eradicare, statum tuum enucleatius penetrare, denique, ut videas quid imposterum agere, vel omittere debeas.

§. 5.

Quæ libertas animi, & quæ custodia sensuum?

ESto liber, & indifferens in omnem voluntatem, & beneplacitum Divinum, eique te totaliter committe, quapropter obstinata consilia tua etiam pia, aliaquè etiam laudabilia proposita (absque consilio Superioris, vel Directoris conscientiæ tuæ facta) hic sunt dimittenda. Nullus enim terminus Deo præfigendus, aut ponendus est, quasi ultra illuminari, aut dirigi non velles: est etenim hoc inconveniens quando creatura cum suo Creatore simili passu procedit, per hoc enim privat se ulterioribus, & amplioribus gratijs, quas alias beneficentissimus Dominus eidem largitus fuisset. Dilatandus itaque est sinus cordis nostri, ut in eo agat, eumque sibi pro sede perpetua voluntatis suæ eligat. Sensus quoque externi omni diligentiâ custodiendi sunt, præcipuè oculi, aures, & lingua. Cum nullo proinde commiscenda colloquia, nisi necessitas, aut urbanitas summa id postulet, neque è cubiculo unquam egrediendum, nisi necessarium fuerit, aut ita habitatio tua disposita sit, ut ex illa absque facto aliorum consortio ad hortum ambulare non possis, seu ambitum. Animum tuum ab omnibus alijs negotijs, ab amicorum, & cognatorum, aut notorum colloquio abstrahe, ab omnibus rumusculis, nuncijs, & literis, quæ animum distrahere solent, multis obnoxijs imaginationibus, conceptumq; fervore suffocant.

§. 6

Quomodò se habendum cum Magistro spirituali?

NOrmam hanc percipies copiosè ex capite 10. & 11. partis 1. sta-

ſtatutorum noſtrorum maxime § 4. & 5. & reliquis capitis 11. Habe illum velut Magiſtrum, & Ducem ambiguæ vitæ tuæ: neque ſuæ confidendum eſt doctrinæ, & conſcientiæ, nam hoc eſt ſe ipſum ſeducere. Nihil itaque occultandum, nil palliandum, ſed totum cor, omneſque animi receſſus, & affectus illi candidè patefaciendi. Enarra quomodo, & quo pacto tibi quælibet ſucceſſerit meditatio, quas illuminationes, deſolationes, quas gratias, quæ deſideria ſenſeris, in omnibus denique obtempera, & de ejus licentia die omni opus aliquod pœnitentiæ perage, cujuſmodi ſunt, diſciplinâ ſe cædere, cilicio ſe præcingere, in cibo aliquid ſibi demere, pedes oſculari, ante fores Eccleſiæ procumbere, aliaq; mortificationis opera exercere, uti in parte 1. cap. 28. Statutorum noſtrorum præſcribuntur, non tamen in ſomno, ut caput pro meditando ſit aptiſſimum, cavendum eſt ne in mortificationibus, & macerationibus corporis excedas modum, aut cœco quodam modo abreptus vota aliqua abſque ejus conſulto emittas, hæc enim ſapiunt ſuperbiam, ſed ſubmitte te illi totaliter, *Humillibus enim DEUS dat gratiam.* Methodum meditandi ſerva, qui præſcribetur infra.

§. 7.

Quæ lectio librorum?

Libros, quos lecturus es à Confeſſario, ſeu Spirituali tuo expete. Similes ſunt libri de imitatione Chriſti Thomæ Kempenſis, opera Rodericij, Pater Pinellus de perfectione religioſa, Dionyſius Carthuſianus de quatuor noviſſimis, alijque ſimiles, Sanctum Evangelium, ſacerque textus: nihil tamen ex eo aliud legendum, quàm quod ad rem pertinet præſentem, ſacra enim meditatio, & lectio debent ſimul concordare.

Adſcribe in charta non prolixè, ſed breviter quidquid optimus DEUS, & Spiritus ille diviniſſimus tibi vel extra, vel intra meditationem inſpiravit, ſive illa reſpiciant voluntatem, ut ſunt ſancta propoſita, ſive intellectum, ut ſunt lumina fidei, & virtutum cæterarum, quas agnoviſti.

Hoc conſcriptum erit tibi in futurum ſpecialis norma, & regula ad vitam ſecuturam, de quo plura infra poſt meditationem primam.

Cavendum tamen eſt, ne nimiùm animus, aut legendo, aut ſcribendo fatigetur, meditationi etenim debetur omnis ſedulitas præ reliquis.

De viſitatione Venerabilis Sacramenti; non eſt, quod hic annotem, aut præſcribam, ut in alijs libris legi, cùm illud iteratis vicibus viſitetur ſepties in die, frequentando horas Canonicas; poterit tamen poſt prandium ſtatim ſumptum cum brevi, & ardenti devotione ſemel ſpecialiter viſitari, & ſalutari.

§. 8.

Quid ſit meditatio?

MEditationem rerum Divinarum deſcribunt Aſcetici, quòd ſit applicatio mentis noſtræ, id eſt, memoriæ, intellectûs, & voluntatis, ad myſteria cum pio ad DEUM affectu, & familiari collocutione conſideranda.

Ad hanc benè inſtituendam quatuor potiſſimum requiruntur, primò, præparatio, repræſentatio, meditatio, demùm colloquium.

Præparatio fit pridiè, vel ipsâ die prælegendo meditationem, vel prælectioni auſcultando. Repræſentatio rem meditandam quaſi præ oculis eſſet proponit. Meditatio rem propoſitam ruminat, & ſcrutatur. Colloquium fit ad DEUM, Chriſtum, B. V. MARIAM, ad S. Angelum Cuſtodem, quandoque Sanctos, ſecundùm ſubſtratam materiam, cui emendandæ vitæ propoſitum cum gratiæ Divinæ imploratione conjungitur.

Præparatio ante meditationem, & orationem neceſſaria eſt ſuadente Eccleſiaſtico: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat DEUM.*

Convenit enim nos debere eſſe ſummè attentos ne videamur DEO illudere, de quibus queri poſſit DEUS: *Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

In via quidem purgativa majoris verecundiæ, & confuſionis gratiâ cogitare poteris quo vultu, & animo ſubditus conſpectum Regis ſui ſubiturus ſit, quem graviter offendiſſe convictus eſſet, quamvis plurimis ab illo beneficijs affectus. Accedes proinde ad locum meditationis demiſſo vultu, teque antequam eandem incipias in terram proſternes, indignum te reputans,

quòd

quòd ad DEUM accedere audeas.

In via illuminativa, & unitivá cogitabis te amanter à DEO, Christo, Angelis, Sanctisque invitari, ad propositum mysterium benè tibi cordi sumendum: hinc cum ingenti desiderio accedes.

In præludijs res meditanda per idoneam loci, vel etiam rei gestæ imaginationem, velut ante oculos ponitur, ut animus tantò faciliùs in ejus contemplatione à distractionibus liber defigatur, dein petitur gratia, ut finem in meditatione propositum assequi possis, videlicet in via purgativá turpitudinem peccati, gravitatem, & de eodem contritionem, & dolorem, &c. In via illuminativa amorem, & desiderium erga virtutes. In via unitiva intimam cum DEO conjunctionem, &c. Porrò in via purgativa duo tantum sunt præludia. In alijs tria, quia in primo summa rei gestæ est, in altero loci imaginatio, & compositio formatur. In tertio petitur gratia.

§. 9.

De Recollectione.

RECollectio post horam meditationis expletam brevis erit, neque ultra medium quadrantem horæ à stante, aut ambulante instituenda est, quâ de successu meditationis inquirendum erit, ut vel doleat, emendetque imposterum, si quid peractum perperam, vel sequatur, quòd benè successit, actis DEO gratijs.

Primò igitur examinet quemadmodum se ad illam præparaverit? An juxta præscriptas supra regulas? An in præsentia DEI constitutus? An præludia, & orationem præmiserit?

Secundò, an, & quomodo in progressu mentem applicaverit? quas rationes, quæ lumina habuerit intellectus? qui affectus, & proposita fuerint voluntatis? Si distractus, si aridus, si indevotus fuerit? quæ causæ, & quomodò cavendæ?

Tertiò, observet veritates, quibus intellectus planè convictus fuerit. Item, quæ proposita fecerit, quæquè secum facere statuerit non tantum in genere, ut fugam peccati in via purgativa, sed hujus N. vitij, & illius minimæ occasionis: aut amorem virtutis in communi, sed hujus N. particularis in via illuminativa: item unionis, & conformitatis in omnibus, quæ DEUS immiserit,

rit, ſed reſignationem etiam talis N. rei, ut in via unitiva.

§. 10.

De diſtributione temporis.

MEdiâ, vel ipsâ horâ ſexta ſurgitur. Peragitur exercitium matutinum, cum ſuis orationibus.

Mediâ ſeptimâ itur ad primam horam canonicam : eâ finitâ perſolvuntur preces privatæ.

A mediâ octavæ fit præparatio pro meditatione.

Horâ octavâ uſque ad nonam eſt ipſa meditatio.

Eâ finitâ fit recollectio per ſemiquadrantem cum præparatione ad Sacrum.

Sequitur canonica Tertia, vel etiam Sexta. Sacrum.

Poſt Sacrum hora Canonica Nona, eâ abſolutâ examen particulare, deinde menſa.

Poſt menſam per horam recreatio, in quâ per quadrantem repetitur obambulando teſſera aſſumpta : reliquum tribuitur lectioni conſiderationis, aut collocutionis cum Patre Directore.

Horâ primâ auditâ recitantur preces privatæ. A mediâ ſecundæ uſque ad ſecundam præparatio pro meditatione.

A ſecunda ad Tertiam ipſa meditatio: eâ finitâ denuo recollectio.

Veſperæ.

Poſt Veſperas propoſitorum factorum, & luminum habitorum annotatio: dein lectio ſpiritualis.

A primo pulſu examen particulare. Sequitur menſa. Recreatio ut ſupra.

Completorium.

Præparatio ad dormiendum cum precibus debitis, ac devotionibus, ut infra.

ORATIO PRÆPARATORIA.

OMnipotens, adorande, metuendeque DEUS, cujus bonitatis infinitus eſt theſaurus, illumina quæſo mentem meam claritate tuâ, affectumque inflamma, ut ſine diſtractione mentis tota anima mea ſeſe in tuæ laudis gloriam effundat, eaque ſolum conſiderem, quæ ad majorem ſunt nominis tui gloriam, B. V. MARIÆ, & S. PAULI primi Eremitæ honorem, meam, & proximorum ſalutem, Amen.

ORATIO S. IGNATII,

Cum Indulgentijs annorum 300. à Joanne XXII. ex opuſculo Nicolai Lancij de medijs conſervandi Spiritum, num. 83.

ANima Chriſti ſanctifica me,
Corpus Chriſti ſalva me,
Sanguis Chriſti inebria me,
Aqua lateris Chriſti lava me,
Paſſio Chriſti conforta me.
O bone IESU exaudi me!
Intra vulnera tua abſconde me,
Ne permittas me ſeparari à te,
Ab hoſte maligno defende me,
In horâ mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te,
In ſæcula ſæculorum Amen.

DE VIA PURGATIVA.

HÆc via ab Aſcetis dicitur purgativa, quia animum hominis emundat, ſeu purgat per dolores, gemitus, & lachrymas à peccatorum ſordibus, eſtque finis ejus, ſeu officium juxta D. Bonav. breviloquiorum 3. part. *Propriæ miſeriæ deploratio.* Ob quod, qui viam purgativam ingreditur, debet primo ſua peccata plangere, deinde DEI miſericordiam humiliter exorare; quocirca attentè conſiderare debet beneficiô Sanctarum Meditationum ſuorum peccatorum enormitatem, & gravitatem, ad veram de ijs concipiendam pœnitentiam, & dolorem, obtinendamque à DEO remiſſionem, & ſæpiùs uſurpandum erit Davidicum illud Pſalm. 50. *Quoniam iniquitatem meam* (per meditationes viæ purgativæ) *ego cognoſco, & peccatum meum* (de quo jam tantum doleo) *contra me eſt ſemper.* Dicitur autem ſtatus iſte ex viâ purgativâ hâc deſcendens, ſtatus incipientium, id eſt eorum, qui quaſi modo geniti infantes per gratiam DEI ſibi à DEO infuſam ob recentem peccatorum contritionem fiunt filij DEI per adoptionem.

Porrò tres primi dies exercitiorum eo tendunt, ut plenè cognoſcamus, ad quem finem creati ſumus, ac conditi, intimeque

doleamus, nos toties à noſtro fine aberrâſſe, inordinatiſque affectibus noſtris locum dediſſe. Nemo proinde quantumcunque in virtutis viâ profecerit, meditationes de peccatis, & quatuor noviſſimis intermittat; nemo eas obiter peragat ſeipſum inaniter ſeducendo, quaſi harum non indigeat, ſed eidem tantummodo ſufficiat vitam Chriſti, aut glorioſa myſteria mente ruminare. Per hos etiam dies inſtituenda erit præparatio pro confeſſione generali, vel annuali, cum tempus ſit commodiſſimum. Evitandi itaque ſunt riſus, omniſque jocus etiam cogitationes amœniores de gloriâ cœleſti omittendæ, &c. imo ipſa ſolaris lucis claritas januis clauſis, & feneſtris arcenda eſt, niſi ſit ſcribendum, aut legendum.

Fructus autem hujus viæ ſpeciales ſunt confuſio de ingratitudine ſuâ erga D E U M munificentiſſimum, intimus dolor de peccatis commiſſis, & terror commiſſibilium, vigilantia ſupra ſeipſum, ac firmum vitæ piæ propoſitum, verbo averſio à creatura, & converſio ad Creatorem , ſicut præceſſit in nobis perverſo ordine averſio à Creatore, & converſio ad creaturam, quod in omni peccato accidit mortifero.

Ultimo adnitendum eſt, ut hoc decemdiale tempus cum ſummâ animi puritate, ſummoque ſtudio, & conatu tranſigatur, ut neque ullum etiam peccatum veniale deliberatum admittatur. *Nemo enim poteſt*, ut loquitur S. Dorotheus inſtitut. 10. *quidpiam obtinere, niſi magno labore.*

DIES

DIES PRIMUS.

Hic dies consecratur SS. Trinitati.

MEDITATIO PRIMA

De ultimo fine hominis.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

MEditatio hæc de ultimo fine mentis nostræ oculos aperiens edocet nos, cur à DEO creati simus, curque in loco peregrinationis constituti.

PRIMO. Homo in hac meditatione deprehendit se esse creatum à DEO, ut æternâ aliquando societate cum eo perfruatur, beatamque adipiscatur æternitatem. Positus autem est in hac miseriarum valle, multis circumdatus infirmitatibus, atque ærumnis, ut per virtutum opera, certamenque legitimum suam beatitudinem in coronam, & prœmium, sed non gratis, assequatur. Ad hoc enim verò potentijs, & sensibus tum internis, tum externis instructus est, atque ornatus. Ad hoc omnes creaturæ ei subjectæ sunt, earumque ipse est Dominus, ut ijs ad virtutum opera, ad laudem, & gloriam conditoris sui utatur: quod meditatio subsequens clariùs edocebit.

MEDITATIO PRIMA.

De ultimo fine hominis.

Oratio Præparatoria ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginare faciem abyssi, ac nihilum mundi, quomodo deinde DEUS creaverit cœlum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua?

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pete à DEO lumen, ut invenire, ac cognoscere possis finem creationis tuæ, illique imposterum dignè inhærere, eum quærere, ac revereri.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primo, qualiter DEUS ex infinito suo amore, qui omnium bonorum extra se effusorum fons, & origo est, creaverit cœlum, & terram, testante Sacrâ Scripturâ: *In principio creavit DEUS cœlum, & terram:* & quia hæc erat

inanis, & vacua, & tenebræ erant supra ipsam, hinc optimus DEUS dixit: *Fiat lux, & facta est.* Gen. 1. Quam dum intueretur, eamq; bonam esse animadverteret, divisit à tenebris nomen luci imponens diem, & tenebris noctem, quibus præposuit luminaria magna, solem videlicet, & lunam: ut ille diei, hæc verò nocti præesset. O inexplicabilem D E I bonitatem, ac Omnipotentiam! quæ his non contenta, insuper mandavit, ut terra *produceret animam viventem in genere suo, jumenta, reptilia, & bestias secundum species suas: herbam quoque virentem, & facientem semen: lignum item pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Denique *ipse dixit:* & omnia (quæ in hoc universo continentur, tùm utilitati, tum recreationi tuæ) *facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Tandem devenit ad creationem hominis dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Creavit itaq; D E U S hominem ad imaginem suam,* qui velut totius universi esset centrum: vivit enim cum floribus, herbis, subsistit cum elementis, sentit cum animalibus, intelligit cum Angelis, ex mero proindè in te amore, nullatenùs tui indigens, ex tot millibus te creavit, deditque tibi corpus integrum, sensibus externis ornatum, faciemque in cœlum erectam, ut vel indè discas despicere terrena, & amare cœlestia; corpori, quod maximum est beneficium, nobilissimam indidit animam, eamque secundum faciem suam, ut nempè purus esset spiritus, tribus potentijs decoravit, intellectu, voluntate, & memoria. Hinc facta est capax divinæ gratiæ, quæ est participatio quædam, & particula divinitatis. Quantas illi ergo gratias pro beneficio tuæ creationis debes? quam sollicitum te esse oportet, ut in animâ tua imago hæc DEI non violetur? eandem verò tu per peccata, & scelera deformâsti, & inseruisti imaginem diaboli: quod sanguineis est deplorandum lachrymis.

A F F E C T U S.

AGnosco, ô benevolentissime Creator! quia *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me, vitam, ac misericordiam tribuisti mihi.* Job. 10. Adhuc jacerem in abysso nihili, nisi singulari tua bonitate conditus essem. *Quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi?* Psal. 150. *Confitebor tibi in toto corde meo, adhæreat lingua mea faucibus meis,* Psal. 137. Si non posthac *meminero tui* in omnibus a-

cti-

ctionibus meis. Psal.136. O DEUS parce mihi abominabili peccatori.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera, cum omnia propter te creata sint, quis scopus, & finis tuus sit in hac vita? Respondet S. Ignatius: *Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum DEUM suum laudet, ac revereatur, eiq; serviens tandem Salvus fiat, Deoq; æternum fruatur.* Quapropter tibi persuadeas, hanc non esse piam aliquam tantum considerationem, & doctrinam asceticam, sed veram, infallibilem, & Orthodoxam fidei veritatem, ac contrariam erroneam, damnabilem, & execrabilem. Hanc veritatem desumpsit S. Pater ex Apostolo dicente: *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Joan. 6. ℣. 22. Ex Sapiente Eccl. 12. ℣. 13. *Time DEUM, & mandata ejus serva: hoc est enim omnis homo.* Isaias loquitur: *Ego primus, & ego novissimus.* Isai. 48. ℣. 11. Ut ergo articulus est fidei, quod DEUS hominem creaverit, ita & fidei punctum est, quod eum creaverit propter se: estque essentialis DEI perfectio, quod ipse sit A. & O. principium, & finis. Quo circa munus tuum officium est Angelicum, nimirum diligere DEUM, & laudare, & alium non præfigere finem operibus tuis, quam solùm DEUM. Nonnè malus esset operarius, qui horam unam, aut alteram Domino, sibi reliquas usui impenderet? nonnè ille est hæreticus, qui unicam negat fidei assertionem? Ex hoc colliges, te non solùm fuisse servum inutilem, qui hucusque duxisti vitam creationi, vocationi, & statui tuo indignam, imò, & nequam, qui talenta tua, nempè animam tradidisti Domino alieno, aut neglexisti.

AFFECTUS.

O Amor incomparabilis! *quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? gratiâ, & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Psal. 8. Heu me, quam longè recessi à te! *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Psal. 119.

PUNCTUM TERTIUM. Considera, cum DEUS sit unicus finis tuus, sequi necessario, te nullâ posse frui quiete in hoc mundo, nisi in solo DEO, quod experientiâ constat in rebus natura-

turalibus. Lapis enim in aere quamdiu existit, movetur continuò, nec quiescit prius, quam terram attingat: ita nec tu quietem in ulla creatura invenies, non in divitijs, quia *qui divites volunt fieri, incidunt in laqueum diaboli*. Non in honoribus, quia *gloria eorum ut stercus*, non in voluptatibus carnis, quia *tribulationem carnis habebunt hujusmodi, & si secundum carnem vixerimus, moriemur*. Quies ergo sola nostra in DEO est. Hæc est unica nostræ vitæ institutio, sine hoc nulla securitas, *fecisti enim nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. lib. 1 Confess. cap. 1. Vide nunc, quoties per vana colloquia, per inordinatum amorem, & appetitum creaturarum, per abusus earundem à fine tuo aberraveris, quam finis tuus, & tuarum actionum fuerit distinctus, nempe, ut lauderis, & glorificeris, ut ad officia promovearis: verbo te, & non DEUM quæsivisti.

A F F E C T U S.

O Bone DEUS, dicere ausim ex toto corde meo cum Sapiente: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Sap. 9. Quàm divisus erat hactenus animus meus? quid quærebam, nisi insanias falsas? nisi creaturas? & in eis ultimum desideriorum meorum contentum. *Inveni aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Rom. 7. ℣. 22. Infelix ego homo! *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Adjuva me mi JESU, & salvus ero. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.*

PUNCTUM QUARTUM. Considera demum, ut DEO fruaris, nihil aliud esse, quam vitam æternam, & beatam, ut ipse Christus ajebat: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, quem misisti JESUM Christum*. Joan. 17. ℣. 3. ad eandem tamen pervenire non poteris, nisi per magnos labores. Opus est pro hac consequenda vitâ bonâ, & religiosa maximè secundum Regulam, ac Statuta S. Ordinis tui: ita loquitur Christus Matth. 7 ℣. 13. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, arcta verò porta, & via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*. Tuum erit adhibere vocationi, & creationi coauxilium, qui enim creavit te sine te, non vult salvare te sine te. Utere proindè creaturis indifferenti ac debito modo, non sit

tibi

tibi charior ſanitas, quam infirmitas, gaudium, quam tribulatio, &c. deplora tuum, ac aliorum ſtatum infelicem, qui vano errore decepti, finis ſui obliti totos ſeſe terrenis immerſerunt cupedijs: finem tuum ſeriò proſequere.

A F F E C T U S.

QUam ingratus homo eſſem ego mi DEUS, ſi impoſterum conditionis meæ immemor exiſterem, cùm milleni inter gentes, & infideles majori religione, & amore in te exarſiſſent. Nulla mihi impoſterum mentem meam pulſabit ſollicitudo, ac cura, quàm tibi mi DEUS unicè ſervire te amare, & inceſſanter diligere. *Repleatur os meum laude, ut cantem tibi gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Recedant ab hoc momento omnes mundi fallaciæ, revoco ſervitutem meam. Vivere tibi volo, & mihi mori, quid enim hæc profuerunt? *tranſierunt*, & tranſitura ſunt *velut umbra. Mihi adhærere DEO bonum erit, ponere in Domino ſpem meam.*

Colloquium ad DEUM Patrem, cum gratiarum actione pro creationis beneficio, humilis ſupplicatio ad B. V. MARIAM, & S. Angelum Cuſtodem pro ſtabilitate mentis, perpetuo in ſuis exercitijs eſſe DEI memorem finiſque ſui ſupernaturalis. Pater noſter Ave Maria. Anima Chriſti, &c. *ut ſupra fol.* 9.

A recollectione deliges tibi teſſeram aliquam ſpiritualem, quam in die uſurpes: ſervire tibi poterit hodie illa S. Auguſtini DEUM alloquentis: *Væ tempori illi, quo non amavi te.* Vel illa Deut. 32. ℣. 18. *DEUM, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Vel, *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Pſal. 94. ℣. 6. Hoc exemplo, & deinceps itera, ac quoties per diem lubebit, ut animum tuum occupatum teneas, ac in corde tuo amantia ſuſpiria tibi per eam excites.

LECTIO SACRA Pro hac accipe ex Thoma Kemp. lib. 3. cap. 9. & 10. Ex directorio noſtro P. Gregorij Teretij Prioris Novitiatus ad S. Barbaram in Polonia part. 1 cap. 1. 2. & 3. Aut viam practicam ad acquirendam perfectionem, quam citat Pater noſter Gregorius Cælius Pannonius, in fine explanationis Regulæ per A. R. P. Andream Gołdonowſki Provincialem Poloniæ, vel doctrinam practicam diei primæ fol. 1. R. P. Danielis Pawłowſki S. J. aut diſſertationem primam, vel ſecundam primæ diei R. P. Pauli Barrij S. J.

Ab-

Abſoluta lectione renova devotionem tuam erga SS. Trinitatem, eſt enim hæc devotio devotionum, utpotè, quæ fundamentum fidei noſtræ in ſe comprehendit. Rogo proindè, & ſuadeo tibi Aſceta, ut ſæpiùs iteres illud Eccleſiæ: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.* idque ſublimiori ardore exequere in fine cujuſlibet Pſalmi ad exemplum S. Emerici Regis S. Stephani Hungarorum filij, vel ſi placet recita Litanias, Officiolum de SS. Trinitate, aut ſubſtratum Roſariolum, quod ſpecialiter commendat Cornel. à Lap. Comment. in Iſai. cap. 6. ℣. 3. Quod P. Nicolaum Serarium ſcribit edidiſſe, ac tandem addit: nihil ſanctius, nihil DEO gratius, & dignius, nihil homini utilius ab eo orari, aut fieri poteſt. Forma autem hujus eſt ſequens.

Primò. Efformanda initio S. Crux, & dicendum: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Et hoc materiata crucula indicatur.

Secundò. Dicendum S. Litan. initium Pater de cælis &c. S. Trinitas unus DEUS miſerere nobis.

Tertiò. Dicenda oratio Dominica, cum Angelica Salutatione, quoties ad conſequentium globorum majorem aliquem ventum.

Quartò. Ad omnes verò globulos minores dicendum Seraphicum illud Iſaiæ cap. 6. ℣. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth, pleni ſunt cæli, & terra gloriâ ejus.* Vel cum Eccleſia: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, vel ſi placet utraque Doxologia ſimul jungatur. S. Ignatius Martyr dum precibus ardentius incumberet, inaudivit cantum Angelicum in duos choros partitum, qui & Pſalmos decantaverat, & cujuſque Pſalmi fini Gloria Patri, & Filio &c. annectebat.

Aut opera tua, & actiones tuas perage numero ternario in honorem SS. Trium Perſonarum. Fuit hæc conſuetudo S. Barbaræ, quæ feneſtris duabus in thermis tertiam addidit, interrogata à Parente cur feciſſet? Reſpondit, ad honorem, & in ſignum SS. Trinitatis. Hanc imitatus eſt P. Franciſcus Folian S. J. qui ita cultui SS. Trinitatis deditus erat, ut non ſolùm ſua perageret numero trino; verùm etiam precibus multis inſtaret apud Superiores ſuos pro obtinendo triangulari cubiculo (quod in illo Collegio erat) ob amorem ejuſdem SS. Trinitatis. Non abſimi-

absimilem affectum conspexi in uno ex Patribus nostris. Multum adfert animæ salutis, & bonitatis hæc devotio, ita enim legitur de B. Angela de Fulgino, quòd eidem ob hunc cultum ad cor tres creverint lapilli, qui ejusdem erant coloris, & quantitatis: imò unus tantum ponderabat, quàm duo, & tres quantùm unus. Monialis ex Ordine Carmelit. quæ quia hujus nominis, videlicet à S. Trinitate, eique devotissima, in eodem festo pijssimè mortua est. Age nunc, quod lubet.

EXAMEN PARTICULARE.

PRimum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam, circa peccatum, aut vitium aliquod particulare, à quo emendari cupit.

Secundum est pomeridianum, in quo petenda est à DEO gratia: ut reminisci possit ille, quoties in peccatum, seu delictum istud particulare inciderit, & imposterum cavere. Deinde priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato, seu vitio jam dicto, & singulas diei partes præteritas percurrens, ab ea hora, quâ surrexit, usque ad præsentem, quoties illud commiserit: & puncta totidem signet in priore linea figuræ subscriptæ: quibus peractis, denuò proponat per spatium diei reliquum diligentiùs sese cohibere.

Tertium erit vespertinum tempus, in quo post cœnæ horam facienda est, discussio secunda, percussis itidem horis singulis ab examine priore, usque ad præsens lapsis: & eodem modo rememoratis, enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem ei punctorum numerum signabit in posteriore linea figura sequenti similis, ad hoc præparatæ.

Additiones quatuor utiles, ad faciliorem, & celeriorem peccati seu vitij cujusvis extirpationem.


PRima est, ut quoties id peccati, seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admotâ, doleat de lapsu: quod fieri potest etiam assistentibus alijs, nec advertentibus.

Secunda est, ut sub noctem numeratis, comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat, an à priore examine usque ad secundum, aliqua successerit emendatio.

Tertia eſt, ut conferat diei ſecundæ, atque præcedentis examina invicem, conſiderans, è quid ſibi emendationis intervenerit.

Quarta, ut collatis hebdomadarum duarum inter ſe examinibus, pari modo factæ, vel omiſſæ emendationis rationem habeat.

Item notandum eſt, ex ſequentibus figuris primam cæteris longiorem, deputari diei primæ, puta Dominicæ: ſecundam verò diei Lunæ paulò breviorem, & ita deinceps: cùm par ſit diminui in dies erratorum numerum.



Præparatio pro Confeſſione Generali.

QUam inſtitues inprimis per decem præcepta Decalogi. Per præcepta Eccleſiæ. Per tria vota. Per obligationes ſub peccato mortali. Per Regulam. Per Statuta. Per ſeptem Sacramenta. Per ſeptem peccata mortalia. Per propoſita à te facta. Per obligationes officij de cogitationibus, verbis, operibuſque conſcientiam tuam examinando.

Gratiarum actio, cum deprecatione ſuorum peccatorum, Ludovici Granatenſis.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut defleam noctes, atque dies peccata mea, meamque ingratitudinem in DEUM Creatorem meum? Quomodo po-

potero sine lachrymis meminisse, quoties potuisti me peccantem, & in peccatis perseverantem occidere, & nihil mihi mali accidit? Quid factum esset de me, si quo tempore multos alios abstulisti, ad infernum deturbasti, etiam me abstulisses? quàm strictum fuisset mihi præparatum judicium, si justitia me tot delictis gravatum deprehendisset? Quis tunc, ô Domine ligavit manus justitiæ tuæ? Quis cùm ego dormiebam, pro me deprecatus est? Quis continuit flagellum indignationis tuæ, quando ego illam meis peccatis provocabam? Quid tibi placuit in me, cur mitius mecum ageres, quàm cum illis, qui in medijs periculis, atque adeò in fervore juventutis, è medio sublati sunt? Malitia mea contra te crescebat quotidiè, & tua vicissim quotidiè erga me crescebat misericordia; ego peccabam, tu me expectabas; ego fugiebam, tu me insequebaris, & in medio peccatorum meorum, multas à te bonas inspirationes, multasque pias reprehensiones accipiebam. Quia me creâsti, & conservâsti, debeo tibi omne quod sum; quia verò me redemisti, & mihi temetipsum dedisti in præmium quid reddam tibi? Ego multa feci digna, cur me condemnes: tu autem modum non amisisti, quo me salves. Quid igitur faciam, nisi ut me ante pedes tuos prosternam, & misericordiam petam? Agnosce Domine, errantem hanc oviculam; ecce venio totus vulneratus, tu potes me sanare; totus cœcus, tu potes me illuminare; totus mortuus, tu potes me suscitare; totus leprosus, tu potes me mundare. Major est misericordia tua, quàm mea iniquitas, & tu potes plus remittere, quàm ego peccare. Noli igitur me repellere, ne respicias multitudinem peccatorum meorum, sed infinitam misericordiam tuam Amen.

DIES PRIMUS.

Ejuſdem intentionis.

MEDITATIO SECUNDA.

De peccatis Angelorum, & hominum.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

CHaos magnum, quod firmatum eſt inter nos, & DEUM inhibens ad felicitatem noſtram acceſſum, peccatum eſt: quod de eſſentia ſua eſt ſeparatio à DEO bono infinito, æterno, & incommutabili. Quare poſt conſiderationem de ultimo fine videnda eſt peccati fæditas, quæ ex effectibus, quos parit dignoſcetur. Porrò tria in hac conſideratione peccati invenire ſtudebimus. Primò peccati horrorem, & deteſtationem. Secundò, Miſericordiæ DEI erga nos admirationem, & dolorem de peccatis commiſſis. Tertiò propoſitum firmum nunquam ampliùs peccatum committendi. Formatur autem ſequenti modo.

MEDITATIO SECUNDA.

De peccatis Angelorum, & hominum.

Oratio ut ſupra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Conſtitue te in conſpectu DEI Angelos, & homines peccatores ad infernum præcipitantis, ut exemplum Divinæ hinc capias indignationis.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pete gratiam ex tam rigido DEI judicio juſtum horrorem peccati concipiendi, & DEI hactenus parcentis amorem.

PUNCTUM PRIMUM. Conſidera, quòd DEUS Angelos ad ſui ſimilitudinem perfectione ſingulari, & in ſimplici naturâ ſpirituali ſupra hominis conditionem longè elevatos condiderit, ita, ut puri eſſent ſpiritus ſine corporis admixtione, immortales ſine corruptione, in gratia ſupernaturali nobiliſſimi, pulcherrimi, tantâ poteſtate donati, quâ immenſos etiam cœlorum orbes, ne dicam terrarum ſuo arbitratu poſſint vertere, excellentiâ, & dignitate ipſius naturæ ſublimiſſimi, ut proximi eſſent DEO, ideoque pro naturali ſede cœlum obtinerent. De illo-

rum

rum Principe Lucifero loquitur Ezechiel. c. 28. ℣. 13. *Tu signaculum pulchritudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore. In delicijs paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte Sancto DEI.* At ubi Divino mandato jubebantur sese DEO homini submittere, si filius humanam naturam assumeret; reluctati sunt Lucifer, & asseclæ ejus, ausisq; superbis à Supremo Principe contenderunt, volentes suam præferri naturam, ità, ut impletum sit eodem loci vestigio, quod DEUS dixit: *Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti Sapientiam tuam in decore tuo: in terram projeci te, producam ergo ignem in medio tui, qui comedat te.* Expende hic Divinæ Justitiæ in peccatis plectendis severitatem tam sublimem, adeoque amari præ vilissimo homine dignissimam creaturam unicâ cogitatione de suis dotibus superbè elatam, à summâ gloriâ ad ultimam ignominiam, à pulcherrimâ specie ad extremam fæditatem, à delicijs cœli ad horrenda inferni tormenta, in quibus propè sexies millenis annis ardet, à maxima æternæ felicitatis spe ad sempiternam calamitatum, ac pœnarum omnium voraginem præcipitat. Libeat nunc tua cum Angelorum delictis comparare. Angeli deliquerunt semel, tu millies: illi cogitatione unicâ, tu cogitationibus, verbis, & operibus innumeris. Jlli erant excellentissimi Genij, tu miser terræ vermiculus, & tamen Angelos in orcum condemnavit, ut momentum illud æternis cruciamentis sine respiratione, sine modo, sine termino luerent, quamvis jure meritissimo, quia DEI Majestas ab Angelis offensa est infinita, si jam *DEUS Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari* 2. Petri 2. ℣. 4. Quid te futurum censes? si Angelorum fortissimus unius peccati pondere deprimitur in abyssum: quo pacto tu tot sceleribus gravis in cœlum consurges. Gere te deinceps submisse: & execrare quidquid viam munire potest ad tantum malum.

AFFECTUS.

AH quantâ DEUS adversus peccatum procedit indignatione! estnè possibile illud imposterùm committere, quando nobilissimis Angelis non est parcitum? an non justior me puniendi fuisset causa, qui tot peccatis peccata cumulavi: horum tamen immemor DEUS ulterioribus me affecit beneficijs, *qui Angelis*

peccantibus non pepercit: 2. Pet. 2. ℣. 4. O longanimitas DEI immensa! ô singularis mihi impensa benevolentia! absit, ut te offendam ampliùs, absit ut in illas me peccandi occasiones rursum ingeram, absit, absit.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera, licet primus Parens hominum præceptum à DEO acceperit, ne de ligno scientiæ boni, & mali comederet: *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris*. Gen. 2.℣.16. Attamen benevolo, & tenero in suam conjugem amore victus Divinum mandatum transgressus est. Hinc & ipse, & conjux, & nos quotquot sumus homines è Paradiso, deliciarum horto dejecti, & in orbis exilium hujus relegati sumus. Unde quòd modo innumeris, & incognitis urgeamur morbis. Quod *statutum sit omnibus semel mori*. Hebr. 11. Quod tot crudelia, & exitiosa bella in orbe sint excitata. Quod urbes usurarijs, sylvæ, & saltus prædonibus, domus furibus, mare pyratis, tribunalia iniquis Judicibus scateant. Quod rudes nascamur, & omnium rerum inscij, quod proni sint sensus hominis in malum ab adolescentia, & caro concupiscat adversum spiritum. Quod nondum nati privemur originali Justitiâ. Quod nascamur filij iræ, & labe originali infecti. Quod plurimi infantes sine baptismo moriantur, quod potissima hominum pars ad inferni supplicia ruat præceps. Hæc, aliaque id genus infinita, pœnæ sunt, & supplicia, queis Adæ culpam unicam, pomi morsum DEUS justè persequitur. Ex hoc enim draconis fonte, & utero tot venenati serpentes proserpsere. Ah quantam, & quam longam egerunt pœnitentiam! Quid tu! quoties Evam, nempè concupiscentiam tuam secutus, centies, & fors millies te spontè, ac liberè in omne malum projecisti? quis non horrore percellatur, si vel peccati memoria mentem subeat? quis nolit non mori millies? quis multiplices vitæ præteritæ excessus non statuat acerrimè vindicare, cum Parens Adamus culpam suam nongentorum annorum pœnitudine, laboreque expiarit. O mi DEUS! quanto odio peccatum prosequi necesse est, quòd tot, tamque diversis pœnis nulla mitigatione inflectendis etiam in posteritate Adami prosequeris. Quale monstrum est peccatum!

AFFECTUS.

O Mi DEUS, quam *horrendum est incidere in manus tuas*. Hebr. 10. ℣.

ỽ. 31. qui vel unicum peccati nævum tot, tamque diversis castigas pœnis. Unicum peccatum Adami tota posteritas abolere non potest. Abominabilis profectò malitia esse debet, quam tantâ severitate, & odio aversaris. Quis mihi tribuat intellectum, ut peccati cujuscunque gravitatem agnoscam, ac abominationem ejus dignâ mente apprehendam, detesterque illo, quo par est in æternum odio. Ah me infelicem! qui innumeris peccatis offendi Majestatem tuam.

PUNCTUM TERTIUM. Considera ex his, quanta sit fæditas peccati apud DEUM, quæ ex Angelis Dæmones, & ex amicis DEI inimicos ferales fecit. Considera, quot myriades hominum DEUS ob peccata propria affligat, & damnet in æternum pro levicula delinquentium, & momentaneâ ferè voluptate. Perpende, quod multi sint, & quidem, qui tecum nati, breviq; in suis peccatis defuncti, quomodo nunc sempiterno luctu, & dolore leve gaudium suum expiant, qui minus, quam tu in DEUM deliquerunt. Hic in gravissimis suis volutantur tormentis, qui diu suaviter vixerunt. Hic non pauci, qui uno duntaxat flagitio rei, morte occupati, ignibus infernalibus traditi sunt. Interea tu effrænis in peccatum ruisti, & DEI benignitas te conservavit, imò quam multi cruciatibus torquentur æternis, qui peccata tecum cumulârunt. Quid tibi evenisset? quod alijs factum est, perijsses æternùm, jaceres calamitosissimus inter tales reprobatos æternum miser. Quid tunc cogitares? quid ageres tali in sorte, & statu miserabili? O si illorum quispiam tam felix inveniretur, ut licet à mundi exordio in his pœnis volutatus, exire tamen hodie tecum, eandemque, quam tu obtines, pœnitentiæ concessæ sortem adire posset, quid crederes hunc facturum? id tu jam facito, & vitam deinceps vive humilem, plenam pœnitentiæ.

A F F E C T U S.

O Benignissime DEUS! misericordia tua fecit, quòd non sim consumptus: hinc agnosco, & stupeo gravissimam indignitatem meam, cui tamen præ tot alijs æternâ morte, dum ego te offenderem, oppressis pepercisti. Inde veneror, & amplector infinitam misericordiam tuam, quam ingratissimæ creaturæ ex purâ gratiâ, infinitaq; benevolentia tua impendere dignatus es. O uti-

utinam omnia membra mea, quæ hactenus iniquitati servierunt; in linguas converterentur Seraphicas ad digne gratias agendum, & laudandum tantum Benefactorem. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula.* Dan. 3. quia eruit me de inferno, & salvum fecit de manu mortis.

PUNCTUM QUARTUM. Considera multitudinem quoque peccatorum tuorum, percurre præteritos annos, & occupationes tuas, nec sine pietatis singulari sensu cum Rege Ezechiâ suspira: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isaiæ 38. ℣. 15. & mox ingentem scelerum copiam in teipso deprehendes, & præter hæc incognita restabunt plurima alia ab oculis tuis absconsa; pro quibus deprecatur David: *Ab occultis meis munda me.* Psal. 18. ℣. 13. Dicuntur autem occulta, tum quia memoria exciderunt, tum quia indoles, & malitia certorum lubrica sæpè, ac subtilis est, ut vix agnosci queat, uti sunt appetitus vanæ gloriæ, impura mentis oblectatio, intentio non recta, & id genus alia: tum quia Dæmon vaferrimus est in Angelum lucis se transfigurans, & iniquis suis machinationibus pietatem probè gnarus prætexere. Hæ igitur notæ à te toties repetitæ eum apud te numerum efficient, ut fateri cogaris cum Rege pœnitente: *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Psal. 39. ℣. 13. Quocirca venerare patientiam, & mansuetudinem supremi Principis, qui non unâ, sed innumeris a nobis affectus injurijs non exarsit, nec pœnitentiam intulit, cum tu ad minimam tui offensiunculam effervescas, & ultionem pares. Hoc quantum dedeceat te tot peccatorum reum, ex divinâ in te clementia debes colligere.

COLLOQUIUM, ET AFFECTUS.

VEreor mi DEUS omnia opera mea, qui tot scelerum reus, & quidem occultorum, à quibus me, ut mundes in sanguine tuo pretiosissimo humillimè supplico. O bone IESU, *ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo, neque delicta juventutis meæ, & ignorantias meas memineris,* sed parce servo tuo. Erubesco ingratitudinem meam, confundor nimium misericordiæ tuæ contemplans abyssum, & demiror, quod terra, cœlum, & omnia, quæ in eis sunt divinæ ultionis gladium portantia me sustinuerint. Quanta ergo insania hominis Christiani, lætos ducere dies, peccatis oppressi.

Pater

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Lectio residua. Scriptio. Tessera. Domine miserere mei. Vel: Deus propitius esto mihi peccatori.

Hodie, & posthac semper tempus scriptionis erit, ut præmisi in generalibus monitis: lumina proindè, quæ in meditatione habuisti, annota, uti, & bona proposita. Cæterùm non aberit sibi libellum variarum, & piarum intentionum contexere, in quo secretissimas tuas habeas Asceta descriptas devotiones, quem legere in mense semel, ac iterùm, vel die Sacræ communionis ad renovandum spiritum multum proderit, in eo notari debebunt omnia, quæ tuæ vocationis, & pietatis sunt, quem ut facilius combines, methodum aliquam præfigam cujusdam exercitantis.

DEVOTIONES QUOTIDIANÆ.

SIngulis diebus præter officium magnum, parvum, & Rosarium B. V. MARIÆ orabo quinquies Pater, & Ave in meridie ad honorem 5. vulnerum Christi: renovabo proposita, offerram cogitationes, verba, & opera ad intentionem matutinam. Reassumam vota, item precabor orationem S. Thomæ Aquinatis pro perfectione Christianâ obtinendâ.

Vesperi 7. Ave Maria in commemorationem septem ejusdem dolorum pro actu contritionis elicendo ante obitum, & exhalationem animæ. Accedit sacrum, quod nunquam, aut rarissimè omittendum.

DEVOTIONES HEBDOMADALES.

DIe Dominica speciales preces fundam ad SS. Trinitatem pro bono S. R. Ecclesiæ, S. meæ Religionis, & S. Romani Imperij, eorumque Antesignanis, & Gubernatoribus. Officium de SS. Trinitate, Litan. aut Rosar.

Die Lunæ orabo Officium de S. Paulo primo Eremita Patre nostro, ac Litan. pro parentibus spiritualibus, & corporalibus, ijsque defunctis, vel vivis.

Die Martis absolvam expansis brachijs, 9. Pater, & Ave in honorem 9. Chororum Angelorum, vel Officium de S. Angelo Custode, Litan. aut Rosarium pro benefactoribus vivis, & defunctis.

Die Mercurij honorabo meos SS. Patronos, & SS. Patronas,

& recit. Litan. de ijs, hæc dies ſpecialiter etiam dedicabitur S. Ioſepho, cujus aut Officium, aut Litanias recitabo pro animabus mihi ſanguine, Religione, aut familiaritate olim conjunctis.

Die Jovis peragam cultum SS. Euchariſtiæ viſitando, & ſalutando ſingulariter Venerabile Sacramentum, dicam autem de eo Officium (ſi in choro non dicitur) aut Roſarium, aut Litanias cum commemoratione devotiſſima S. Barbaræ, ut per ejus interceſſionem hoc viatico in articulo mortis frui valeam.

Die Veneris colam memoriam SS. Paſſionis, cum Officio, Litanijs, aut Roſario, mentio ſingularis erit in precibus illis inimicorum meorum, & Chriſti, nempe omnium peccatorum, infidelium &c.

Sabbatho, abſolvam devotionem erga Divam Virginem MARIAM, orando Officium de Immaculata Conceptione, aut de 7 doloribus ejuſdem, commendando eidem omnes Religioſos, & Religioſas, item omnes ejus cultores, & Sodales cum ijs, qui nomen MARIÆ portant, venerantur, eôquè vocantur.

DEVOTIONES MENSTRUÆ

PRima hebdomada cujuſque menſis præter Officium, quod recitatur de S. Patre noſtro dicam Sacrum votivum de omnibus Sanctis, aut ſi non potero, Litan. de ijs pro gratia per eos à DEO impetranda, illos in eorum virtutibus imitandi, maximè verò mihi magis neceſſarijs. Item dicam Sacrum pro bono Religionis, & pro felici regimine Superiorum, cum 7. Pſalmis pænitentialibus, tertio faciam ſemper menſtruam confeſſionem, cum corporali caſtigatione de non ſervatis bonis propoſitis.

DEVOTIONES ANNUÆ.

SIngulis menſibus præter mea 12. Sacra ſecundum Statuta, item anniverſaria, celebrabo pro meis parentibus defunctis, 1. Sacrum. Vigilias Chriſti Domini, B. V. MARIÆ. S. Pauli primi Eremitæ, S. mei Patroni in uno ferculo peragam, accedunt huc, quæ per dies, & menſes abſolvuntur. Faciam autem ſemper profeſſionem fidei, deinde Religionis. Etiam ſingulis diebus 24. Ave abſolvam propter indulgentias. Item ter Pater noſter in honorem S. Athanaſij, S. Ioannis Nepomuceni, & S. Petri Martyris, item 3. Ave Maria ad honorem S. Suſannæ, S.

Cu-

Cunegundis, & S. Genovefæ ad avertendas detractionum linguas. Orationem item unam pro juventute bene dirigenda, & instruenda. Si possibile fuerit addam Litanias de S. Patronis contra pestem cum versiculis in cruce notatis.

MORTIFICATIONES HEBDOMADALES.

Die Dominica, mortificabo me in gustu in tribus scutellis semper aliquot bolos relinquendo.

Die Lunæ, portabo cilicium.

Die Martis, orabo omnes horas diurnas non inclinatus ad stalla.

Die Mercurij, ubique locorum abstinentiam à carne tenebo.

Die Jovis, mortificabo sensum olfactus nihil odoriferi admittens, eritque singularis custodia oculorum, maximè sexus alterius hominem non intuendo.

Die Veneris, disciplina ordinaria cum stricto jejunio vesperi.

Die Sabbathi, humicubatio, & abstinentia à vino totâ die.

DEVOTIO ERGA SANCTOS.

ORationem de ijsdem persolvere, vel Rosarium, vel ipsas preces, quas soli composuerunt, vel oráre consueverunt. Item actus aliquot die illa illius virtutis, in quâ excellebant, elicere, vitam, & virtutes eorundem enarrare, cultum illius & devotionem augere, & promovere. Quod maximè intelligendum de Sanctæ vitæ viris nostris absque oblivione, aut potius sepositione aliorum Sanctorum.

DEVOTIONES IN VIA, VEL PRO VIA.

ORatio S. August. Deus propitius esto mihi &c. cum itinerario, 1. Pater noster ad honorem S. Georgij, item orationem, Deus qui miro ordine &c. ad honorem S Raphaelis, & Angeli Custodis. Unum quoque Ave cum Magnificat ad honorem B. V. MARIÆ, expertus sum ipse, è quibus periculis, casibus, & naufragijs eliberatus sim.

Clausula.

JESUS, MARIA, JOSEPH; JESUS, MARIA ANNA, sint mecum semper in via. JESUS, MARIA, BARBARA, sint meum ultimum solamen Amen.

Apta in via erit enarratio sacrarum historiarum, aut etiam fabu-

bularum cum sancta applicatione, & explicatione rei. Aut sacræ cantilenæ.

PETITIONES QUOTIDIANÆ *post sumptam Eucharistiam.*

PRimò, rogabo DEUM pro amore DEI super omnia. Secundò, pro vero dolore de peccatis. Tertiò, pro conformitate voluntatis meæ in Divinam. Quartò, pro felici morte. Quintò, pro odio, & fugâ sæculi. Sextò, pro spiritu religioso, & amore solitudinis. Septimò, pro tempore, loco, & gratiâ resarciendi facta, & data proximis scandala. Octavò pro stricta observantia Regulæ, & Statutorum. Nonò, pro jugi memoria quatuor novissimorum. Decimò, pro salute proximorum, inimicorum, peccatorum, & subjectorum. Undecimò, pro bono regimine Superiorum. Duodecimò, pro gratia tolerandi carni, & amori proprio contraria. Decimo tertiò, pro auxilio etiam pericula peccatorum evitandi.

Asceta memini multos diem clausisse prospera valetudine, multos verò sequentem diem non attigisse. Proinde cura tibi sit salus animæ tuæ, & sors beata felicis mortis pro quâ animadverte antequam te hodie quieti tradas, petere non neglige benedictionem à D. V. MARIA flexo poplite ad Exemplum B. Stanislai Kostkæ, *Quia omne illud, quod ab ipsa benedicitur, benedictum erit.*

EXAMEN CIRCA AMOREM ET CHARITATEM DEO DEBITAM.

PRima. Nullum unquam mortale peccatum admittere, qualiscunque sese offerat occasio, imò mori malle, quàm se in labendi occasionem admittere.

Secunda. Ne venialibus quidem peccatis deditâ operâ, & deliberatè consentire.

Tertia. Dolere, & detestari omnia delicta, seu parva, quæ adversus DEUM committuntur.

Quarta. Publicè profiteri amorem virtutis, & odium cujuscunque vitij.

Quin-

Quinta. Amare DEUM ex toto corde, integrum ei consecrando, neque in creaturas cum præjudicio reverentiæ, honoris, & obedientiæ Creatori debitæ dispertiendo.

Sexta. Amare D E U M purè propter ipsum, nullo intento proprio commodo, quamvis nullam neque in hac, neque in altera vita hujus Amoris mercedem esset relaturus.

Septima. Amare quidquid DEI est, & in illo, & propter illum creaturas omnes: & non aliter.

Octava. Amare quidquid DEUS amat, præsertim ipsius mandata, consilia, & virtutes.

Nona. Majori amore ferri in eos quos ipse plus diligit, ut est Sanctissima Virgo, Sancti alij, viri probi, & qui peculiariter ipsius obsequijs dediti sunt.

Decima. Dare operam, ut ametur, & gloria illius amplificetur, apud omnes creaturas Amoris capaces.

Undecima. Amare, & approbare, quidquid circa nos, & alios operetur, amanter omnia de manu paternæ suæ bonitatis acceptando.

Duodecima. Velle, & delectari in omnibus, quæ ipse vult, sive illa factu facilia sint, sive toleratu molesta.

Decima tertia Privare se creaturis, earumque solatijs, & voluptatibus propter ejus amorem.

Decima quarta. Sæpe illum versare animo, & libentiùs, quàm creaturas.

Decima quinta. Libenter de illo loqui.

Decima sexta. De ejus Majestate, & adorandis perfectionibus gaudere.

Decima septima. Pluris facere minimum gradum gratiæ ejus, & minimum donorum, & favorum illius, quàm omnes totius orbis honores, & delicias.

Decima octava. Optare quocunque pretio amorem illius, etiam tolerantiâ quorumcunq; incommodorum, & cruaciatuum non tantùm ad tempus vitæ mortalis, sed etiam ad millia annorum, si DEUS eos nobis largiretur.

Decima nona. Ad visionem ejus ferventer anhelare.

Vigesima. Crescere in dies in amore, & aspirare ad ardentissimam, & quotidie augescentem sui Creatoris dilectionem.

CONSIDERATIO.

QUæ tibi felicitas, Asceta, octo, vel decem habere dies integros, quibus nullam aliam, quàm de DEO, atque anima tua cogitationem, curamque suscipias! Milleni Ethnici sunt, & totidem Christiani, qui mirabiles in virtute progressus facerent, magnamque vitæ sanctimoniam consequerentur, si tali otio, similibus cogitationibus, & luminibus fruerentur, quibus jam tu abundas, & quæ DEUS in hoc secessu tibi adhuc communicabit.

Fatere verum, nunquid è numero earum animarum es, quæ velut in tenebris palpantes ad DEUM accedunt: nondùm ruisti in ejus amplexum, neque de omni jure penitùs illi cessisti, dudùm est quòd cum illo licitaris, tantane tergiversatione opus, ut tibi bonum cudas? ah quantam tibi jacturam paris! Tandem aliquandò insiste vestigijs eorum Sanctorum, qui ardentissimè ea complectuntur, quæ tu tantoperè metuis; quisque tantò ferventiùs profectum suum persequuntur, quantò propius abesse, te vident à fine, propter quem conditi sunt.

Nonne jucundiùs, & tranquilliùs est DEO servire, quàm mundo, & sibi? quid tibi tunc prodest, laxâsse habenas cupiditatibus tuis? quem fructum retulisti ab amore hujus, vel illius creaturæ? nihil melius est, quàm DEUM diligere, illique servire: cætera omnia vanitas, & afflictio animi. O anima mea toties perfidiâ creaturarum decepta, & afflicta, nonne tandem in sinu conquiesces unici, & fidissimi amantis tui? nonne pertæsa insaniæ, & vanitatum tuarum, omnem curam, & amorem transferes in DEUM sincerè amicum, & unicè amabilem! qui nunquam fallit, aut destituit suos, nisi quandò contemptu legum suarum ignavissimè deseritur.

Ubi eras ante centum annos? æternitas præcessit. Ubi eris post annos centum? sequetur æternitas, & quidem brevi: cuncta enim incredibili celeritate prætervolant: sola tu anima mea testudineo passu gradiris, & lente repis in divino servitio, cùm plurimum itineris tibi restet peragendum.

Omnes illæ voluptates, quas nunc hic, nunc illic decerpit animus meus quæquè non totæ, sed divisim succedunt, relinquunt in fine quendam cordis mærorem, & occultas anxietates,

tes, unde iſtud? niſi quòd animus ad finem ſuum anhelat, expectatque viſionem DEI, qui ſolus uti objectum infinitum, explere poteſt animæ, & amoris mei capacitatem, nunquam ſaturandam ijs, quibus hactenus cum ſalutis meæ periculo intendi.

Hoc fortaſſe ultimum tuum otium eſt; hæc poſtrema Exercitia, quibus incumbes. Si id tibi conſtaret, quid ageres? hoc age nunc, omni poſt poſito metu, & reſpectu, age propter Deum, & te: ne tibi blandiaris, ne procraſtines. Negotium hoc tuum eſt, negotium maximi momenti, & cardo prædeſtinationis tuæ.

DIES SECUNDUS.

Conſecratur hic cultui SS. Nominis JESU.

MEDITATIO TERTIA.

De damnis ex peccato provenientibus.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

COnſideratio damnorum ex peccato oriundorum penitus in animam incutit timorem DEI, pariterque horrorem peccati vividiorem. Noſtra etenim vitiata natura ob obſcuritatem intellectus nequit ſincerè apprehendere, quid ſit offenſa DEI, quidvè tantum perdidiſſe bonum: unde non uſque adeò movetur ad ſenſuum delectationes perdendas, quas ut præſentes vehementiſſimè perſentit. Quare opportuniſſimum eſt per mala ſenſum tangentia mentem ſenſim attollere ad conſiderationem malorum ſpiritualium, quæ perquodlibet peccatum mortale incurrimus. Juvat adhoc memoriâ recolere mala, quæ ipſi aliquando perpeſſi ſumus, ut frigus, calorem, ægritudinem, infamiam, aliorum indignationes, odia contra nos, angores &c. ut per horum memoriam apprehendere valeat intellectus malorum magnitudinem, & voluntas efficacius proponat fugere peccatum horum omnium cauſam. Formatur autem hoc modo:

ME-

MEDITATIO TERTIA.

De damnis ex peccato provenientibus.

Oratio Preparatoria ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginare te ex alto contemplari omnia mala totius mundi, quomodo in hoc Regno bella, ibi pax, hic securitas, ibi periculum, hic sanitas, ibi ægritudo, hic gaudium, ibi tristitia, hic amor, ibi odium, hic fames, ibi abundantia, hic calamitas, ibi prosperitas, hic denique vita, ibi mors.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pete à DEO lumen, ac veram cognitionem omnium malorum ex peccato provenientium, & dolorem de peccatis commissis.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primo bona per peccatum ablata, sive damna, quæ ex peccato proveniunt. Imprimis excidisti ex gratia tui amantissimi Creatoris, ah! quàm infelix est hæc discessio, cum tota nostra ab eo dependeat vita, & prosperitas: adeoque recessisse à DEO est omne bonum perdidisse, sine hujus gratia nulla est nostra vita, ita loquitur *sine me* (id est, absque mea gratia) *nihil potestis facere*, nec cogitare quidem, quod est salutis: quam grave est ergo offendisse eum, qui nobis omnia bona ut intellectum, voluntatem, memoriam, aliaque dona supernaturalia, per quæ cœlestis Regni capaces redderemur, suæque æternæ felicitatis essemus comparticipes, contulit. Nonnè ipse est? de quo dicit Sapiens: *In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me spes omnis vitæ, & virtutis: Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum.* Nulla sine eo requies, nullum solatium, ipse solus est Pater totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione, & omni tentatione, & persecutione nostrâ: quare eo amisso, omne bonum, & infinitum perdidisse certum est.

AFFECTUS.

Flerinè potuit, ut à te averterer tantæ vilitatis homo, & te DEUM meum, à quo omne bonum possideo, omneque imposterum expecto, offendere tam graviter, & tam crebro potuerim. Nonnè tu sola salus mea, & illuminatio mea? Scito ergo, & vide anima, quàm *malum, & amarum fuit reliquisse te Dominum DEUM tuum.* Verè malum malorum omnium est peccatum: cum illud solum infinito, ac optimo privet bono.

Pun-

PUNCTUM SECUNDUM. Plurima imprimis mala ſunt, quæ DEUS in hac vitâ mortalibus ob peccatum irrogat, ut pro bonis externis omnia infert mala, pro opibus, & abundantiâ rerum, inopia, & nuditate affligit, per ſterilitatem, aut bellum illata, quæ flagella propemodum quotidiana ſunt: quin & armat omnem creaturam ad ultionem inimicorum. Aer ventis oppugnat, & tempeſtatibus: ignis fulmine, & incendijs: aqua exundationibus: terra lolijs, & ſentibus. Transfert DEUS à nobis honorem, officia, regna, imperia integra, & ignominiâ, vaſtitate, oblivione, contemptu nobiliſſimas familias obruit, & ſepelit. Ita ampliſſima illa arbor Nabuchodonoſoris ſucciſa eſt. Balthaſar ad ſtateram appenſus regno vitâquè excidit, & homini nullus in orbe major hoſtis, quam alter homo, cum hoc invidiâ, æmulatione, irâ, litibus, armiſque uſque ad vitæ ipſius internecionem collidit. Jam ſi corporis mala expendas, quod miſerijs non affligitur? nunc frigore, nunc calore torquetur: modo fame, modo ſatietate pluribus unum morbis obnoxium eſt, quàm membris conſtet. Ipſæ porro inordinatæ hominis cupiditates, quibus peccator affligitur cum explere nequeat quantum animæ tormentum ſunt. Avarus quoties fruſtratur quæſitis! ſuperbus quoties contemnitur? voluptatum ſectator fallitur, atque in dolores offendit. Invidus quomodo alieno bono torquetur? acædioſus quàm ſibimetipſi gravis eſt? Verè, ô homo *malum, & amarum eſt reliquiſſe Dominum DEUM tuum.*

AFFECTUS.

INfelix ego homo, qui per innumera peccata mea omne mundi malum in me concitavi! nonnè, cum in honore eſſem, non intellexi? nonnè, qui nominatus ſum, & fui filiùs tuus, quem conſtituiſti ſuper omnia opera manuum tuarum, quem paulò minùs ab Angelis gloriâ, & honore coronâſti, cui ſubjeciſti ſub pedibus ejus oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris: attamen horum omnium oblitus, cupiditatibus carnis, delicijs mundi, ac vanitatibus omnem dedi vitam, & converſationem meam, jure itaque Sapientiſſimo hæc omnia in me concitâſti, ut nomine tui in me vindictam ſumerent. Non eſt, quod imposterùm conquerar, aut dicam, cur me dereliquiſti bone DEUS?

mea eſt hæc culpa, ex quâ mihi hæc omnia acciderunt. Sed, ô DEUS meus adjuva me, & ſalvus ero!

PUNCTUM TERTIUM. Conſidera tertiò, tantùm eſſe odium peccati, ut per illud amoroſa DEI, & benigna protectio deperdatur, paternoque amore (quod omnium graviſſimum eſt) ſpoliemur: hinc nulla ejus in te debita cuſtodiendi, aut protegendi obligatio, utpote qui jugum ejus ſponte abjeciſti ſuave dicens, non ſerviam: ſed per peccatum te in mancipium diaboli formâſti, qui te innumeris paſſionum concutit motibus, ad iram, ad gulam &c. te mirè concitans, ac velut incatenatam beſtiam de vitio ad vitium, de peccato in peccatum, ac per hæc tandem etiam apud mortales ad ignominiam, ad infamiam, ad rotas, ad patibulum, ad mortem turpiſſimam ſubeundam deducit. Expertus hoc eſt Eremitarum ille, cui, dum perſuaſiſſet dæmon, unum ex his tribus peccatis eſſe committendum, aut ebrietatem, aut adulterium, aut homicidium, elegit miſer ſibi ebrietatem, ex quâ devenit in adulterium, inde ad mariti homicidium. Denique perpende, quòd peccatum mortale omnia bona arduè hucuſque geſta, omnia bona opera etiam per mille annos comparata irrita facit, nulla, & caſſa: privatque omni merito ſanguinis, & paſſionis Chriſti, Sanctorum meritis, & ſuffragijs, & inſuper mortem æternam, infernum perpetuum promeretur, ipſo denique DEO, quod omnium damnorum damnoſiſſimum eſt animam ſpoliat, ah! quanta igitur dementia in tantæ ruinæ ſeſe conjicere pericula, lætos ducere dies, abſque mentis formidine liberè, ac ſponte tantum animæ ſuæ augere perpetuum interitum.

AFFECTUS.

O Abominabile monſtrum peccati, quod in DEI offenſionibus tam grave, & intollerabile eſt, ut nullis humanis viribus, doloribus, ac tormentis ſit expiabile: neque DEUS placari cuipiam poſſit, niſi ab hoc per Chriſti merita, & ſanguine conciliato. Utinam totus mundus hæc magis ſeriò expenderet, quid ſit DEUM offendiſſe, quod ſi agnoſcerent homines, millies, & millies libentius perirent.

PUNCTUM QUARTUM. Ut melius menti tuæ imprimas malitiam peccati, aſſume pro quarto ipſius peccati definitionem.

nem. Eſt enim peccatum præmeditata Divinæ legis tranſgreſſio, Impudens à DEO hominis fuga, & ad inanem creaturam cum ſummæ Divinitatis, Majeſtatiſque deſpicientia acceſſio, de quâ conqueritur DEUS: *Duo mala fecit populus meus.* Jerem. 2. ℣. 13. Eſt peccatum jactura Divinæ gratiæ, & amicitiæ. Morbus, cui nihil medebitur niſi ſanguis Chriſti. Confuſio naturæ, quæ hominem cœlo natum jumentis inſipientibus comparat. Mors à quâ ſolus DEUS te excitare poteſt. Proditio, quâ mentis noſtræ munitio perfidè traditur diabolo. Sacrilega profanatio templi DEI. Furtum, quo teipſum DEO, cui totus devinctus es, impiè ſubtrahis, & diabolo mancipas. Adulterium, quo anima in baptiſmo juratam DEO fidem violat, & ſeſe perjura proſtituit vaniſſimis creaturis. Eſt noxa talis, quam nec Angeli, nec hominis intelligentia comprehendit, ſolus DEUS eam novit. Hinc eſt, quòd peccatori minetur: *Hæc feciſti, & tacui.* Pſal. 49. Has minas, ut evites, tua in teipſo ulciſcaris peccata per actus pœnitentiæ graves. Profectò, ſi vitæ tuæ turpitudinem agnoſceres, præ pudore in ipſas terræ latebras te abſconderes.

COLLOQUIUM, ET AFFECTUS.

JAm ſatis, ô bone IESU! gratiâ illuminationis tuæ agnovi abominationem peccati, ejuſque gravitatem, ut timore hujus ac tremore perculſus non eſt malum in orbe, quod perpeti, aut ſuſtinere paratus non ſim, quam in hoc unicum animum, ac conſcientiam meam conjicere. Quid enim mihi proderit, bone IESU, univerſas mundi habere delicias, ſi tua fuero gratiâ deſtitutus? Quis me à poteſtate diabolica defendet? aut rugientis leonis faucibus eripiet? ad quem in anguſtiarum procelloſo ocaſu confugiam? quis me in agone mortis proteget? quis me, ne deinceps in tartara ruam infelix, liberabit? Si tu mi IESU miſericordiæ viſcera à me ſubtraxeris? mundus, diabolus ah! quanta tunc rabie contra me inſurgent, quin & Angelus bonus, & ipſa conſcientia adverſum me ſtabit: accuſationem ferent de bonis neglectis, de malis patratis. Da DEUS cordis mei, *ne unquam obdormiam in morte,* da mihi contemnere mundum.

Pater noſter. Ave Maria. Anima Chriſti. Recollectio. Lectio ex Thom. Kemp. lib. 1. cap. 21. & 13. vel lib. 3. cap. 23. & 24. Ex Directorio Spirit. cap. 4. 5. & 6. aut 9. cum §. 1.

2. & 3. Aut Doctrin. pract. de quotidiano exercitio humilitatis R. P. Daniel Pawłowſki fol. 47. Aut diſſertat. matutin. de annua, aut extraord. Confeſſione R. P. Pauli Barrij. Teſſera. *Miſerere mei DEUS, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Vel *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Aſceta hodiè renovanda, aut innitanda eſt devotio erga SS. Nomen IESU, quod ità cordi tuo imprime, ut nunquam tibi ex eo avelli poſſit. Inter reliqua devotionis genera, quæ aſſignabuntur, ſubjungo Roſariolum, quod devoto cuidam homini revelatum fuit Puerulo I E S U hoccè Roſariolo nihil acceptius eſſe, & qui illud ſingulis diebus devotè recitaverit in æternum illum non relicturum. Anonij in lib. prec. & Litan. ſelect. Lincij impreſſo Anno 1650.

Complectitur autem ſi quis dicat 50. Ave Maria, ac poſt unam decadem loco Pater noſter ſequentem orationem: *Ave, ô dulciſſime Domine JESU Chriſte, gratiâ plene, miſericordia tecum, benedictus ſit acerbiſſimus paſſionis tuæ dolor, amariſſima mors, dulciſſimæ lacrymæ, ſanguis pretioſiſſimus, ac ſacratiſſima vulnera in æternum. O dulciſſime JESU Fili DEI vivi, miſerere mei nunc, & in horâ mortis meæ Amen.*

Reperi aliam coronam, quam dicenti quotidie Leo X conceſſit indulg. plen. in horâ mortis. Sixtus autem V. quater eam dicenti conceſſit indulgentias plenarias, ea die, quâ vellet eam conſequi. In blanditijs Hagiophilæ fol. 435. Et magno variar. Indulgent. theſauro Cracoviæ impreſſo 1671.

Corona autem hæc Domini IESU conſtat. 33. Pater, & totidem Ave Maria, &c. & 5. Ave Maria, &c. in honorem 7. vulnerum.

Primum, dicitur ab initio.

Secundum, poſt ter Pater, & Ave, quæ dicuntur in honorem infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæque Chriſti.

Tertium, Ave dicitur poſt unam decadem Pater, & Ave.

Quartum, poſt alteram.

Quintum, poſt tertiam decadem, quæ tres decades Pater, & Ave dicuntur in honorem trium annorum prædicationis Chriſti Domini in virili ætate.

Vel forma, aut ſcribe SS. Nomen I E S U in fronte digito con-

contra repentinam mortem, ita docuit ipſe Chriſtus Dominus S. Edmundum Cantuarienſ. Archiep. Aut recita quotidie Officium de eo, ut ſolent PP. Franciſcani. Vel verò Litanias ad exemplum omnium Sodalium PP. Oratorij, quæ etiam conſuetudo quotidiè apud nos poſt matutinum habetur.

B. Henricus Suſo uni dixit Virgini revelatum eſſe, qui Nomen IESU apud ſe defert in vita benefacere ipſi DEUM, & in morte propitium ei eſſe.

Reitera itaq; ſæpiùs de die ad imitationem S. Pauli Apoſtoli, S. Franciſci Saleſij, S. Edmundi, & aliorum Sanctorum hoc SS. Nomen IESUS.

Conceſſit Ioannes Papa, XX. hâc die Indulg. illi, qui nominans, vel audiens SS. Nomina IESUS, MARIA, fecerit reverentiam cum inclinatione.

DIES SECUNDUS.

Ejuſdem intentionis.

MEDITATIO QUARTA.

De Morte.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

IN particulari peculiaris effectus peccati, quem DEUS comminatur, eſt mors, quæ eſt una ex quatuor noviſſimis. Hujus conſideratio plurimum hominem in moribus componit, abſtrahitque à ſæculi illecebris, & à peccatis deterret. Verum etenim eſt, quod per os Prophetæ Dominus locutus eſt: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Indiget hæc conſideratio attentâ imaginatione affectuque timoris. Imaginatione repræſentare oportet ſtatum illum lachrymabilem, in quo languore oppreſſus homo nec ſuo, nec alieno juvari poteſt auxilio. Ex hac autem imaginatione vivida, exoritur ſalutaris timor peccati, Serioque magis ad ſalutis quærendam viam homo diſponitur. Formatur autem ſic.

MEDITATIO QUARTA.

De Morte.

Oratio ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Statue tibi ante oculos illud tempus, quod aliquando, & fortè propediem habiturus es in morte ultimum, esto vera sit sententia Christi, quâ hora minimè putabis aderit, finge jam adesse, ut quæ cogitaturus, facturusque sis, expendas.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Ora, ut ex consideratione prævia finis, & mortis tibi imminentis gratiam te dignè ad illam disponendi impetres.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primo, quod nullus â mortis imperio eximatur: *Statutum est enim omnibus hominibus semel mori.* Hebr. 11. *Quia breves* (ut loquitur Iob. cap. 14.) *dies hominis sunt, numerus mensium apud te est, tu posuisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt:* nec Rex, Papa, pulcher, nobilis, servus, Dominus, pauper, & dives, juvenis, aut senex, nullus est homo, qui non videbit mortem, ejusque degustabit amaritudinem. Perpende, quòd dicatur semel mori, non bis, ut corrigere mortem infelicem quis posset. Semel jacitur alea de æternitate totâ, vel miserrima, vel felicissima. Putasnè, si bis liceret, quisquam esset, qui damnationem illam infelicissimam non omni studio subterfugeret. Quid verò nunc est, quòd non magis Divinæ veritati, quàm tuæ debeas experientiæ credere. Nihil certius, quoniam *ibit homo in domum æternitatis suæ,* cujus felicitas à morte pendet, semel omnibus obeunda, hujus verò exitus à bonâ vitâ. Nunc igitur tibi statuendum est ex vitæ præsentis rationibus, quâ morte mori velis, & quâ æternitate frui. Benè mori vis, bene vive. *Non potest male mori, qui bene vixerit.* S. Augußt. de discipl. Christian. c. 12.

AFFECTUS.

AGnosco Domine, & tot exemplis ante oculos positis certissimum esse disco, tam certam omnium esse mortem, quam horam incertam. *Testamentum enim hujus mundi est; morte morieris.* Scio, ô bone DEUS, quia veniet dies Domini tanquam fur de nocte. Non fallit, qui dixit: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Quid ergo in illo constitutus termino di-

ɛturus ſum, quando doloribus oppreſſo anima à corpore, mundo, amicis &c. ſeparabitur? quid eo tempore me feciſſe cupiam, niſi mundum, & ea ſpreviſſe, quæ in mundo ſunt. Ab hoc ergo momento valedico omnibus, momentum non elabetur, quod honori tuo non impendam.

PUNCTUM SECUNDUM. Conſidera, licet mors certa ſit, hora tamen, locus, & modus mortis incertus eſt. *Neſcit homo finem ſuum; & ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplum venerit.* Eccl. 9. ℣. 12. Ah! quot inexpectata obruit, qui longam ſibi in voluptatibus, honoribus, & divitijs vitam traducendam ſperabant ſine ullâ temporis diſpenſatione. Hinc XI. Galliarum Rex ſingulis diebus ultimæ ſuæ ægritudinis 500. aureos ſuo medico numerabat, ut opere medicamentorum tempus prolongaret, ſed fruſtra. Similiter Chryſaorius ille, de quo Magnus Gregorius cum à dæmonibus citaretur ad reddendam flagitioſiſſimæ ſuæ vitæ rationem magnis vociferationibus obteſtari cæpit, ut modicum aliquid temporis indulgerent: inducias vel uſque mane, inducias vel uſque mane. Quid non facultatum obtuliſſet, & cum eo oblaturi eſſent ſimili in ſtatu conſtituti ad exigui temporis prorogationem: aſt tunc non poterit pretio, vel breve tempus emi. Recole hic mortes repentinas, quas vidiſti, audiviſti, aut legiſti: & conclude, ſtultiſſimum omnino eſſe inter mortis certiſſima jacula ſecurum ducere ævum. Quod Salvator noſter Matth. 5. monuit: *Eſtote parati, quia, quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Age DEO gratias, quod te hucuſque è tot mortis fallacis periculis erueris, & vigila omni momento ad ejus adventum, is autem vigilat verè, qui in ſtatu gratiæ eſt, corque ſuum varijs adornat virtutibus.

AFFECTUS.

O Stultam ſecuritatem meam! qui hactenus ita vixi, quaſi non eſſem moriturus: ita tempus frivolè inſumpſi, quaſi pro æternitate per bonam mortem lucranda non fuiſſet conceſſum. Quis revocabit mihi tot millena momenta? tot mille horas, & dies, imò annos multos in quibus morti appropinquans immemor mortis extiti. Deteſtor inſipientiam meam, & fateor, ô bone IESU, me ſtultè feciſſe. Revoco omnia ſi poſſibile eſt gloriæ

tuæ

tuæ impendenda. Aſt quia eſſe non poteſt, *recogitabo illa in amaritudine animæ meæ.*

PUNCTUM TERTIUM. Conſidera, quam miranda cum vita tua erit alteratio, oculi enim tunc non videbunt amplius, quæ pulchra, & amæna ſunt. Obdurabuntur aures ad voces, & cantus ſuaves. Lingua nec potum guſtabit, nec cibum. Obrigeſcent ſingula corporis membra, eorumque uſus, robur, virtus, & fortitudo recedet, erit languor inexplicabilis, debilitas, ac dolor. Cor nihil amabit, nihil odio habebit, corpus cum fætore putreſcet, imò amicus amico horrori, & faſtidio futurus eſt, quapropter obduratis naribus tranſeuntes præproperè te à domo efferri deſiderabunt, tum mortuali involueris ſyndone, & non in palatium, aut domum, arcemque nobilem, ſed in tumulum anguſtiſſimum, in tumulum, in quo *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Iſaiæ 4. ℣. 11. deportaberis. Præterea ablatura eſt mors cum dolore, & mærore ingenti animam tuam à corpore, ſeparabit te ab omnibus externis opibus, honoribus, voluptatibus, amicis, alijſque quorum amore ſæpius DEUM, & aliquando graviſſimè offendiſti, ſalutis remedia neglexiſti. Nil aurum, nil potentia, nil medicina auxilij adferent, ſola illic virtus, bonaque vita viam animæ ad cœlum aperient. Ex his, qui ſapit, ſecum concludet, quandoquidem mihi DEUS nunc vitam concedit; omnia hujus vitæ momenta uni ejus honori conſecrabo, & quia mors me etiam invitum à caducis mundi rebus ſegregabit, nulli animum inordinato affectu patiar affigi, & quia nihil mecum auferam præter bona opera. *Operabor itaq; bonum, dum tempus habeo.* Galat. 6. ℣. 10. *Veniet enim nox, & nemo poterit operari.* Ioann. 9. ℣. 4.

AFFECTUS.

Piiſſime IESU, quis dolor aggravabit animam meam, ubi clarè perſpexero jacturam temporis mei, ut quid quæſivi vanitatem, & dilexi mendacium. Nonnè *nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & iterum nudus revertar.* Ad quid ergo mihi theſaurizavi theſauros perituros, quos mecum accipere non valebo, & quidem cum perditione animæ meæ. Doleo, ah iterum doleo! unicum impoſterùm ſtudium erit, te theſaurum omnis ſapientiæ, & ſcientiæ quocunque tempore, quocunque modo, quam diligentiſſimè lucrari.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM. Considera, quis tibi sensus futurus sit de præterita vitâ tuâ, de præsenti statu tuo, de futura denique æternitate, nisi piè, sanctèque vixeris: nam quo majori voluptate, aut abundantia vita præterita transacta fuerit, tantò graviore affligeris dolore, undè cum Davide cum gemitu clamabis: *Circumdederunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Psal 17. ℣. 5. Primò autem plurimum dolebis de peccato mortali commisso, ut adhuc quasi vivus in inferno videare. Secundò, tempus malè impensum, quia ex illo etiam unam horam desiderabis, & non concedetur. Tertiò, à te tantum neglectum boni, ut conciones, jejunia, Divinos instinctus, Sacramentorum perceptionem, pietatis exercitia aut omissa, aut perfunctoriè obita, corporis mortificationes, & alia similia bona opera. Quartò, conturbabit te timor imminentis judicij, quia, ut loquitur S. Petrus: *Si iustus vix salvabitur, impius, ac peccator ubi parebunt!* 1. Pet. 4. Dæmon ipse formâ visibili, aut modo invisibili oppugnabit. Emenda ergo nunc vitam reprobam, cujus finis interitus, & quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opes, nec ratio, nec sapientia, nec scientia vivunt apud inferos, quo tu properas. Econtra mors probis amæna, & plena solatij erit juxta illud: *Justorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis,* quia mors justis est finis laborum, patriæ cœlestis portus, complementum victoriæ, liberatio à periculis mundi. Solatur hos Christus sæpius cum B. V. & SS. eosque ad gaudia felicissima deducit. Opta igitur cum Balaam, quamvis impio, *ut moriatur anima tua morte justorum, & fiant novissima tua horum similia.* Num. 23.

COLLOQUIUM, ET AFFECTUS.

O Misericordissime DEUS, sentio has mihi voces identidem ingeri: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Breve illud tibi adhuc superest, posthac tempus non erit ampliùs. Scio Domine, scio, quia *breves dies hominis sunt*· cunctis igitur diebus, quibus *nunc milito expecto donec veniat immutatio mea, vocabis, & respondebo tibi laudando te in omnem æternitatem.* Quapropter mi IESV, cujus anima à cruce in manus æterni Patris est commendata, latronis animam sibi associans Paradisi petijt regna, da mihi, ut anima tibi associetur, tuoque auxilio Paradisi januam pe-

netret triumphalis. Memento mei tunc, ô Mater DEI. Adeste, & vos speciales S. Patroni mei, ut per bonam mortem ad vos pervenire valeam.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio, Scriptio, propositorum annotatio, resid. lectio.

Asceta, antequam te lectulo tuo hodie concredas, imitare D. Iacobum Minorem, de quo in ejus vitâ scribitur, eum orationem suam semper flexis persolvisse genibus, aut fronte terræ affixa. Si hic Apostolus vitâ, & sanctitate magnus ita submisse DEUM suum precatus est, quid tibi agendum censebis, utpotè multorum scelerum tibi conscius? age igitur, & ante lectulum tuum ad placandam Divinam Majestatem à te gravissimè offensam, simili modo Rosariolum pro peccatis absolve. Forma ejus est hæc.

Loco Credo ora Psalmum de Profundis.

Ad majores globulos orationem. DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere &c.

Ad minores illud Publicani: DEUS propitius esto mihi maximo peccatori.

Tessera. Moriendum est, & post hoc Iudicium.

EXAMEN DE AMORE, ET CHARITATE PROXIMIS IMPENDENDA.

PRimò. Illum diligere sicut seipsum.

Secundò. Nihil illi facere, nisi quod velimus nobis fieri.

Tertiò. Gaudere de omni illius felicitate, & commodo.

Quartò. Illius incommodis, & adversis addolere.

Quintò. Non offendere, neque ullâ, vel minimâ molestiâ afficere.

Sextò. Nullo judicio seu absentem, seu præsentem vilipendere.

Septimò. Nunquam illum reprehendere, nisi id muneris nostri ratio postulet.

Octavò. Nullum illi denegare subsidium consentaneum rationi.

Nonò. Vitia illius excusare.

Decimò. Illi non obloqui contentiose.

Vndecimò. Cordatè, & ingenuè cum illo agere.

Du-

Duodecimò. Tolerare ipsius defectus, & imperfectiones.
Decimò tertiò. Honore,& officijs humanitatis illum prævenire.
Decimò quartò. Non invidere, sed illius laudibus oblectari.
Decimò quintò. Patienter sustinere, quidquid nobis molestiæ intulerit.

CONSIDERATIO.

OMnis Theologia consentit nullum esse dolorem tam acerbum, nullam tam molestam ægritudinem, nullum tormentum rotæ, neque ignis, neque plumbi liquati, aut aliud esse tam terribile, ut majora non mereatur etiam unum peccatum veniale. Cur istud igitur non expendo, qui tam facilè in ea peccata labor, quique tam ægrè inducor ad pœnitentias, delendis, & expiandis vitæ præteritæ peccatis necessarias.

Ah! qui animo assequeretur quantum DEO displiceat minimum peccatum veniale, quàm se studiose contineret! exigua Davidis Regis vanitas quâ subditorum numerum iniri jusserat, trium dierum pestilentiâ, & jacturâ septuaginta millium hominum castigata fuit. Post hæc ausim ego aliquando me permittere vanitati, aut minimo veniali peccato indulgere?

O DEVS, quàm immeritò quærimur de adversis, quæ sustinemus, quæq; Deus nobis immittit, si advertamus animum ad scelera, quæ perpetravimus, & ad pœnas, quæ ista promerentur etiamsi non admisissemus nisi peccatum unicum, Divina Majestas (quæ eo læditur) tanti est, ut omnes totius mundi cruciatus præstandæ satisfactioni legitimæ non sufficiant. Jrruat igitur in me, quidquid durum, quidquid asperum, non querar, quin ubique & semper profitebor me duriora, asperioraque mereri.

Fertur Divina bonitas visa nostrorum peccatorum, etiam venialium, multitudine, plurimùm remittere de amore erga nos suo, & protectionis suæ, & auxiliorum gratiam subtrahere, quâ deficiente proni simus in ruinam,& lethale peccatum est lapsus. Heu! & istud mihi infortunium, æternæque damnationis periculum accidere posset, propter insignem illam licentiam, quâ minutis istis me noxis obruo. Mortem, ô amantissime DEVS! mortem ipsam flagito, aut verò gratiam, quâ à vitijs istis venialibus sim immunis.

O quanta harum animarum felicitas, quæ cœlum incolunt!

nullo unquam ſcelere offendunt DEVM. O quam illas vel inde complector, quòd æternum cœlo excludi mallent, eaque affluentiâ, & magnitudine gloriæ, quâ fruuntur, privari, quin & præcipitari in æternos inferorum cruciatus, aut annihilari, quàm minimam venialem noxam committere. Is modus eſt, quo vivere deinceps deſidero, & eligere infernum, & in nihilum meum reverti potiùs, quàm peccare.

Verè dictum olim à Sancta Catharina Genuenſi, quòd ſi homo cognoſceret, quanto dignum odio, fugaque eſſet peccatum vel unicum, mallet in ardenti fornace ibique vivus conſumi, quàm illud admittere, & ſi totum mare foret igneum, potiùs in illud ad fundum uſque ſe demergeret, neque unquam enataret, ſi crederet ſibi emerſuro obvium peccatum, eoque ſe contaminandum. Nihil illo veriùs, cùm nihil in mundo præter peccatum, & offenſionem DEI timeri debeat: ſi ſcirent iſtud homines, & ego, ut par eſt, iſtud apprehenderem in alium ſanè virum ab eo, qui ſum, evaderem, & omnes Sancti eſſemus.

DIES TERTIUS.

Hic dedicatur cultui B V. MARIÆ.

MEDITATIO QUINTA.

De Judicio Univerſali.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Poſt mortem, ſecundum noviſſimum hominis eſt judicium extremum: ejus conſideratio plurimum conducit ad corrigendam hominis vitam, ad reprimendos carnis inſultus, ad fugienda denique peccata. Reprimit quoque faſtum, & abominationem ſæculi, facitque mundum vileſcere, conducit etiam ad timorem DEI in anima gignendum. Teſtis hujus rei eſt D. Hieronymus, cui ſive bibenti, ſive comedenti reſonabat in auribus clangor tubæ illius: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Requirit verò hæc conſide-

deratio attentionem omnium eorum imaginativè, & memorativè quæ Evangelium enunciat de adventu Domini ad judicium. Peragitur autem formâ sequenti.

MEDITATIO QUINTA.
De Judicio ultimo.
Oratio ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Pone tibi ante oculos tuos ultimam mundi faciem, ubi *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, ubi stellæ de cælo cadent, & in terris erit pressura gentium, ubi denique erit afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc usque tempus, neque fiet.*

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Ora DEUM, ut agnoscere valeas terribilis diei illius calamitatem, ac judicij severitatem, ut tantò meliori curâ paratus accedas, ne semel rejectus æternùm cadas.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primò, etsi cuivis homini particulare post mortem subeundum sit judicium, in eoque aut æternæ felicitati, aut infelici adjudicandus: nihilominus futurum quoque est universale, ad quod Christus venturus est, & *sedebit super sedem Majestatis suæ, & congregabuntur ante ipsum omnes gentes, & separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hædis*, in quo producturus tam bona, quam mala nostra, tum ut magis confundat improbos, qui in sceleribus latebras sectati sunt, tum ut probos virtutibus illorum manifestatis honoret, suumque judicium Angelis, & hominibus in conspectu omnis creaturæ exponat demonstrando, quàm inscrutabilia sint judicia ejus. Hoc autem præcedet, necdum visâ totius mundi cathastrophe, *Sol obscurabitur*, ut testatur Matth. 24. *Adveniet etiam dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transibunt*, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Hæc intuentes homines, ah quanta replebuntur tristitia, & cordis amaritudine, & tremore, maximè qui scelerum suorum fuerint conscij. Vide, quam securum te nunc tua pronunciet conscientia.

AFFECTUS.

BEne exclamavit S. Anselmus: *O angustia! ô angustia! hujus nempè diei, erunt enim accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus Judex, intus urens conscientia, ubi late-*

latebo? ubi apparebo? latere enim impossibile, apparere intollerabile. Quid dormitas anima tepida? qui non expergiscitur ad tantum tonitru, non dormit, sed mortuus est. Ergo, ô bone IESU! *cum veneris judicare, noli me condemnare.*

PUNCTUM SECUNDUM. Considera secundò, finitâ prænominata consumatione, ubi omnes in valle Josaphat congregati fuerint, apparebit signum filij hominis, Crux videlicet in cœlo fulgida. O gaudium Crucem amantibus! Mox audietur tuba terribilis, *nam mittet Angelos suos cum tuba, & voce magnâ, & congregabit electos à quatuor ventis, surgite mortui venite ad judicium.* Quanto horrore bone DEUS hic sonus peccatores concutiet, nescientes, quo se recondant miseri? ideoque dicent: *Montibus cooperite nos, & collibus cadite super nos* vocibus desperatissimis. Perpende, quale erit in hoc judicio discrimen proborum, & reproborum, dum illi expectatione cœlestis gloriæ ad ultimam anhelabunt judicis sententiam, hi scelerum convicti terrore æternarum jam imminentium pœnarum attoniti in Judicis conspectu apparebunt. *Stabunt justi in magna constantia, adversus eos, qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum:* hi verò videntes *turbabuntur timore horribili intra se præ angustia spiritûs gementes, hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij.* Nos insensati vitam illorum putabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios DEI, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus à viâ veritatis. Vide hic quam salubre est animæ Christianæ spretis mundi delicijs viam sanctæ Crucis,& mortificationis decurrere,elige proinde abjectus esse in domo DEI, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

A F F E C T U S.

MIserere mei Domine, dum adhuc tempus miserendi est, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Ah! utinam cum S. Hieronymo sive comedam,sive bibam, sive aliud quidcunque faciam auribus meis illa vox insonaret: Surgite mortui, venite ad judicium, felicior profectò, ac securior tunc coram tuis Divinis starem oculis. Quam me tanget pœnitudo , quòd tam præceps fuerim in judicando proximo, ah! utinam in meam conscientiam dejecissem oculos, ac meipsum iudicâssem mitius accepturus ab eodem judicium,

qui dixit: Nolite judicare, & non judicabimini. Faciam ergo imposterùm, ô pijssime nunc, ac misericordissime Judex, neminem judicabo, nullius vitæ alienæ curiosum perscrutatorem agam. Judica deinde judicium tuum, & discerne causam meam.

PUNCTUM TERTIUM. Considera tertiò, quam gravi suffundentur pudore, qui peccata sua stultâ verecundiâ oppressi neglexêre confiteri, aut ij, qui larvâ quadam sua contexere, omnia tunc erunt patula, & aperta. Ah! quanta monstra peccatorum visentur, & quidem à te facta, recogita, dole, & detestare. Plenus horrore, & terrore erit ordo hujus judicij: primo Judex erit Christus omniscius, cujus oculis nihil est occultum, justissimus absque misericordiâ, & simul supremus, à quo non licet appellare ad alium: rea erit conscientia tot scelerum pondere oppressa: accusator erit diabolus idem ipse, qui ad peccatum nunc incitat. Putasnè furaturum cum tali complice furem, qui mox à furto Judici se proderet? testis Angelus Custos, cujus inspirationes toties neglexisti, cujus consilio toties restitisti. Sanctus quoque tuus Tutelaris, uti & SS. Patroni, quorum exemplis, & Sanctimonia, non sapuisti. Examen rigidum erit, & exactum: interrogabit te Judex, quam gratum te beneficijs creationis, redemptionis &c. præbueris, num ad ipsius gloriam usus sis sensibus externis, membris corporis, tribus animæ potentijs, quâ ratione tot millenas horas, tot momentorum milliones, vitæ tuæ impenderis, quem fructum ex toties repetita Sacramentorum frequentatione retuleris, quomodo, & quâ intentione ea peregeris. S. Augustinus scribit: *Recitabuntur verba professionis nostræ, & objiciet nobis diabolus in faciem, quidquid fecimus, quæ die peccavimus, & quo loco, & quid boni tunc facere debuimus.* O rigida, ô severa ratio quæ exigetur! Quam benè precatus est David: *Non intres in judicium cum servo tuo.* Operare itaque multum pro gloria D E I, adhibe omnia media, quibus possis nunc animum tui Judicis lucrari, & cum hoc feceris, cogita te esse *servum inutilem*, quia etiam justitias judicaturus est.

A F F E C T U S.

O Quam amara, quam severa erit dies illa, verè dies iræ dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tubæ, & clangoris. Quid respondebo tibi, ô Judex æ-

quissi-

quiſſime, de meis à te acceptis infinitis beneficijs, ac gratijs Divinis? quid tibi reddam de villicatione mea; qui etiamnum agnoſco, me omnia talenta, bona omnia à te conceſſa diſſipaſſe, ſuffodiſſe, imò in gravem tui offenſam, ignominiam, & calumniam impendiſſe. Quid ergo faciam? *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacbrymis meis ſtratum meum rigabo.* O Domine, *confige timore tuo carnes meas, à judicijs tuis rimui.*

PUNCTUM *QUARTUM.* Conſidera quartò, quantus exorietur ululatus, & clamor auditâ illa ſententia horribili, & irrevocabili: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Ego quidem creavi vos, ego ſum veſtrum principium, & finis, ego vos redemi, quâm caro mihi ſteteritis, manuum, pedum, ac lateris mei teſtantur, ac loquuntur vulnera. Vocavi vos, & renuiſtis, mandata mea protervè veſtrâ gulâ, luxuriâ, irâ &c. proculcâſtis. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare &c.* quodcunque ex minimis meis uni non feciſtis, nec mihi feciſtis. *Diſcedite à me maledicti,* æternùm proſcripti eritis à facie mea, à meorum conſortio, à parentibus, amicis, & Superioribus veſtris, qui mecum in cœlo habitant, ab Angelis meis, & benedicta Matre mea. Jlla vobis ſe Matrem monſtravit ſæpius, at vos tam benignæ Matris degeneres filij fuiſtis. Quoties denuò illa pro vobis nudavit ubera, obtulit preces, quas iteratis peccatis irritas feciſtis. Abite itaque in ignem æternum, in quo cum arſeritis tot annis, quot ſunt in arboribus folia, quot in mari guttæ, in littore arenæ, in aere attomi, tunc veſtri ardoris non finis, ſed initium erit. Benedicti verò placidiſſimo vocabuntur vultu, venite, *Venite benedicti Patris mei poſſidete Regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi,* qui abnegaſtis vos, & vocem meam audiviſtis, *tuliſtis crucem, & ſecuti eſtis me.* Matth. 25. Venite Virgines, quæ maluiſtis mori, quam fœdari. Venite peccatores, qui amaris lachrymis peccata veſtra defleviſtis. Venite Martyres, qui ſanguinem amore mei profudiſtis. Venite Religioſi, qui patrem, & matrem propter me reliquiſtis, poſſidete regnum, cujus non erit finis, cujus pax imperturbabilis, cujus divitiæ non deficiunt, cujus gaudium plenum, cujus felicitas æterna. Et ecce *venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* O lætam, ô ter beatam ſententiam! quis erit ſenſus ad primum aulæ cœleſtis ingreſſum.

AFFE-

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

NUnc igitur, ô Domine, *judica me, & discerne causam meam de gente non Sancta, ab homine iniquo, & doloso eripe me*. In hoc tempore misericordiæ tuæ corrige me, & doce me facere justificationes tuas. *Loquere nunc, quia audit servus tuus*. Loqueris in extremo die judicij, ast quam dispari voce, vocabis enim irrevocabili sententia: *Venite benedicti Patris mei, & ite meledicti*, quam his amanda, quam illis abominanda. Hi æternum felices, illi infelices. Quid est, quod ita in illos sævias, nisi quia vocasti, & renuerunt, sic & tu anima nunc rides, & non exaudis. O Domine fac, ut vocem tuam semper audiam, ab hoc momento his pijs insistam operibus, N. N. has operabor virtutes N. N. huic creaturæ N. huic peccato N. abrenunciabo. Ne projicias me à facie tua.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio.

Devotio. Pietas Asceta, quâ hactenus usus es ad honorem B. V. MARIÆ, ad omnia utilissima est, maximè verò saluti tuæ, & proximi, quapropter præter Rosarium, Litanias, Officium, quæ tibi specialiter commendo indies persolvenda, secundum meum tenerum judicium, simulque affectum erga hanc cœli Reginam, quasdam tibi præscribo devotiones, accipe ex illis plures, vel unam, quæ tibi magis arridet.

Qui ter quotidie ad honorem SS. Trinitatis, salutârit B. V. M ut infra scribitur, feliciter morietur ex Revelatione ejusdem Virginis facta S. Mechtildi lib. 1. c. 67.

Ave Maria &c. O Domina mea S. MARIA, sicut DEUS Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita mihi quæso adsis in hora mortis expellendo à me omnem contrariam potestatem.

Ave Maria &c. O Domina mea S. MARIA, sicut filius DEI tantâ te cognitione, & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines, ita in horâ mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur.

Ave Maria &c. O Domina mea S. MARIA, sicut Spiritus S. suum amorem tibi plenè infudit, ita tu in mea morte dulcedi-

nem amoris mihi instilla, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suavissima.

Dicens 12. Ave Maria in honorem 12. prærogativarum B. V. MARIÆ lucratur indulg. 12. millium dierum in thesauro Carmelit. ex magno variar. indulgent. thesauro. Quidam assuetus dicere hæc verba: Beatus venter qui te portavit æterni Patris filium, & beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum Salvatorem nostrum, actus postea in phrenesim, ita ut se dilaniaret, meruit, ut intercedente Angelo Custode pro eo, & prædicta verba allegante sanaretur à B. V. Deiparâ infundente ori ejus lac de ubere Virgineo. Reflecte te igitur ad hæc verba in fine Officij tui.

Canonicus Regularis salutans sæpè B. V. Mariam meruit per ipsam certificari de salute sua in morte. Sylvanus Razzi. Devotè Officium B. V. persolventes præcipuè Magnificat, magnas gratias obtinuerunt, nominatim S. Anselmus sanitatem, alius felicem mortem. Pelbartus.

Per verba ista: Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus, liberatus quidam à latronibus, factus est enim illis invisibilis. Ibidem.

Quidam per verba ista: Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe, salvatus. Sylvanus Razzi.

S. Antonius de Padua mirè addictus erat Hymno: O gloriosa Domina, qui habetur in Officio parvo, eum sæpius recitando, nam hoc Hymno quasque tentationes Sathanæ superabat, ac ei pro merito B. V. in extremis apparuit, ex Marchant. opusc. 1. de Laud. B. V.

S. V. Maria promisit S. Gertrudi l. 3. c. 19. Instit. insin. divin. piet. appariturum se in morte dicenti sequentem orationē.

Ave candidissimum lilium fulgidæ, semperque tranquillæ Trinitatis, rosaque præfulgida cœlicæ amænitatis, de quâ nasci, & de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit, Divinis influxionibus animas nostras pasce.

Quidam Parochus Villæ Pelogæ Diœcesis Trevirensis, quotidie ad omnes horas Salve Regina recitabat, accidit, ut semel in agro à gravissima tempestate mixtâ horribili tonitru, & fulmi-

mine obrueretur, ex metu confugit ad vicinam Capellam, ubi orans pro periculo avertendo B. V. ei apparuit dicens: Quia Salve Regina libenter, & sæpè decantas, nunquam te fulmina, aut tonitrua lædent. Cæsarius lib. 1. cap. 90. Hinc etiam Antiphona nautarum dicitur. Navar. cit. à March. Tract. 1. Sec. 1. Quadrigæ Marianæ fol. 88.

Pictor quidam miraculosam imaginem B. V. montis Serati, reparare volens excæcatus est, sicque per 3. menses permansit. Ast ubi Religiosi affectuosiùs canerent Hymnum: Ave maris stella, maximè verba illa: *Profer lumen cæcis*, cæcus pictor derepentè lumen oculorum recepit. In hist. montis Serati.

Si recitaveris singulis diebus devotè Hymnum: *Stabat Mater dolorosa*, gratiam ejusdem mereberis singularem. Qui 7. Ave dixerit ad honorem septem dolorum B. Matris Christus Dominus speciales gratias eidem collaturum promisit, maximè dolorem de peccatis.

Plures devotiones invenies in hortulo Mariano. In Anathemate Mariano nostri Patris Andreæ Egerer, alijsque Authoribus. Interim memor esto Litaniarum Lauretan. & Antiphon. illius: Gaude D E I Genitrix &c. quam de cantare Matutino tempore solemus, quam quidam Religiosus orans meruit audire vocem ab altari B. V. Mariæ, Gaudium annunciasti, gaudium tibi eveniet. Ex S. Pet. Dam. Ep. l. 3. c. 10.

Lectio ex Thoma Kemp. lib. 1. cap. 14. Vel. lib. 3. cap. 28. Ex Director. part. 2. §. 1. 2. 4. & 5. incipiendo à fol. 57. Aut doctrin. pract. R. P. Daniel. Pawłowski de timore judiciorum Dei, fol. 88.

Tessera. *Surgite mortui, venite ad Judicium.* Vel: *O mors amara. O judicium districtum.*

DIES TERTIUS.

Ejusdem intentionis.

MEDITATIO SEXTA.

De Inferno.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Consideratio pœnarum inferni propellit hominem ad timorem DEI, incitatque ad opera salutis. Etenim anima visis damnatorum tormentis ea perhorrescit, moveturque ad quærenda media, quibus ea evitare possit, quia autem præcipuum medium est fuga peccati, odiumq́, vitiorum, eam decernit. Fugiendo autem peccata sensim ad Deum auxiliatorem suum sese convertit, eumque uti datorem Regni cœlestis amare incipit, sicque ex timente fit amans. Ex eo porro, quod Deum amando ei placere contendat, arripit virtutum viam, eamq; graditur, donec æternæ mercedis retributionem in cœlis accipiat. Meditatio autem hoc ordine disponitur.

MEDITATIO SEXTA.

De Inferno.

Oratio ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginare te dehiscente velut in Æthna monte terrâ locum damnatorum in ejus centro, tanquam in camino succenso contemplari, audire ululatus, percipere clamores, & lamenta, & esto cum ijs, qui in infernum descendunt vivente,, ne periclitentur morientes.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pete à DEO gratiam intimè penetrandi harum pœnarum gravitatem, ut, si non amore DEI, saltem horrore horum suppliciorum à peccato abstraharis.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primò, damnatos acceptâ illâ sententiâ irrevocabili in omnem æternitatem fore inimicos DEI, quapropter visione ejusdem non fruituri sunt, tantaque felicitate, & infinito bono nunquam potituri. Lugebunt autem vehementi ejulatu super hoc videndo pro momentanea jucunditate æternam amisisse beatitudinem, discerpent se instar

rabi-

rabidorum canum ob amissam pro fugaci voluptate perennem Angelorum societatem, & Sanctorum consortium, flebunt inconsolabiliter stultam suam delectationem, quòd momentanea tribulatione devicti incommutabile bonum amiserint, non contemnentes sæculi illecebras, utpotè perennes miserias allaturas. Locus utpotè angustissimus carcer est, quem tenebræ undique, & fædissimæ sordes occupant, in quem damnati non aliter, ac lateritij lapides sunt compacti. Quam molesta hæc erit ijs imprimis habitatio, qui magnificis, & deliciosis domuum, & cubiculorum commoditatibus assueverunt. Socios secum damnationi subjectos habebunt, quos Sceptra, Regna, Ducatus, Theologia &c. alijs prætulerant, imò quos sanguis, & amicitiæ conjunctio colligaverat, ut sunt parentes, amici, sorores, matres, fratres. Ast hic nulla amicitia, *nullus ordo, sed sempiternus horror*, Job. 10. ℣. 22. Capitalia hic erunt odia, iræ, rancores &c. Disce hinc tuam cum omnibus amicitiam ad amussim Christianæ legis ita componere, ut nullo alio, quam sinceræ, ac defecatæ charitatis fundamento nitatur. Disce prava consortia cane pejora, & angue cavere.

A F F E C T U S.

ESTnè possibile anima mea, ut tantis te liberè, Sponteque immergas tormentis? ut DEUM tibi velis inimicum habere æternum. Itanè nunc mundi arrident pompæ, ut in his per paucos placeat vivere annos, licet de ijs pœnas datura sis perennes? quid times, si infernum non perhorrescis? O furor! ô insania generis humani in tanto discrimine constituti, & tamen peccantis!

PUNCTUM SECUNDUM. Considera pœnam, quæ sensus, & extima damnati membra exercebit, per quæ enim quis peccat, per hæc & punietur, oculos in pœnam lascivientis curiositatis fumida ignis tartarei (cujus natura est urere, non autem lucere) caligo castigabit. Stabunt oculi aperti semper, sed nil, nisi dæmonum terribiles formas, tetrumque inferni carcerem intuebuntur. Aures, quia hic patuère spurcis sermonibus, alijsque inhonestis jocis, ac fabulis, mæstissimus desperantium ejulatus, stridor dentium, blasphemia in Deum, & Sanctos verberabunt. Nares sulphureus stagni avernalis vapor, & è damnatorum cor-

poribus erumpens fætor affliget, quia huic infernali antro caminus deerit. I nunc delicatule, & nasum balsamo, unguentisq; effæmina, aut de cella, situ, locoque conquere strictiori: linguam fel Draconum, & venenum aspidum, palatum canina fames, sitisque torquebit, membra, & sensus potissimum ij ardentissimo depascentur igne, quæ fuêre præcipua peccati instrumenta. Dives epulo tot jam sæculis unicam aquæ guttulam orat, & nondum exoravit, nec exoraturus est. Tam nimium carò stat sua linguæ quâ ciborum, qua verborum intemperies, & libido. Totum quinimo corpus non secus, ac ferrum, vel carbo ignitus unus ignis erit, cui collatus hic ignis (secundum S. August.) sublunaris picturam potius, quam ignem refert. Devorabit hæc flamma intima carnis, & medullas ossium. Audi Isaiam: *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.*

AFFECTUS.

COgita, ô anima mea, profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, vermium genus venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Exclama cum Bernard. *Contremisco â dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum, vaporem, & sulphur. Spiritum procellarum, horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium,* Nihil ergo tam arduum, nihil tam vile, nihil tam ignominiosum erit, quod non perferam, non sustinebo, non tolerabo animo placidissimo, ut hascè pœnas evadam.

PUNCTUM TERTIUM. Considera tertiò, quæ tormenta in tribus animæ potentijs damnatus sustineat. Memoriæ ante mentis oculos obversabuntur continuò bonorum, & voluptatum illæcebræ, queis vivus gavisus est, & quas modo pudor, dolorquè sempiternus excipit, tot millenæ horæ tanto suo dispendio malè impensæ, tot abundantissima consilia, & media obtinendæ salutis, quibus alij assecuti sunt eam, quibus in eadem domo conviximus, tot peccata enormia viva conscientiæ pabula cum omnibus circumstantijs objiciet. Quales, quantique hi erunt acu-

culei? quàm atrocia vulnera mentis? Bene proinde dixit S. Augustin. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum.* tract. 8. in Psalm. 45. Et tamen hic quandoq; obdormiscit: *at in inferno nunquam vermis eorum morietur.* Matt. 9. ℣. 43. Cave, ne pecces in animam tuam, sed dum tempus habes operare bonum. Fluxa gaudia deseras, antequam te deserant. Intellectum damnato obcæcabunt æternæ illæ tenebræ, quas Theologi pœnam damni appellant, estque perpetua carentia visionis beatificæ. Eheu jacturam incomparabilem! rejici, & in æternum rejici à sua beatitudine, patria, hæreditate, à DEO summo bono infinito, quod nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis descendit. Eheu malum, quo non datur malum pejus! Damnati voluntas obdurata in malum, & frugis melioris incapax, sempiternas in DEUM, divosque inimicitias parturiet plena inquietudine, desperationis abysso absorpta, quòd contra malorum fluctus semper luctetur, & nunquam eluctetur, & ad quid? Sententia Divina jam lata est, & quidem irrevocabilis.

AFFECTUS.

QUanta erit acerbitas à solo Deo, hoc est summo bono separari, nam licet pœna sensus sit acerbissima, non tamen in se omni ex parte est infinita: at pœna damni, quæ nos separat à Deo nostro, privat nos bono infinito. Benè proindè scripsit S. Chrys. homil. 24. in Matth. *Intollerabilis quidem res est gehenna, sed tamen, si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à Beatæ illius gloriæ honore repelli.* Cur ergo non exurgis anima mea cum universis potentijs tuis, easquè à rebus creatis, & perituris abstrahis? ut quid tam stricto te illis affigis amoris vinculo? Deo conjungere, illi soli serva fidem, dilige, ac ne ullo quidem crimine te ab illo divelle. Cogita, quam brevis voluptas sit, quæ æternos tamen parit dolores. O Domine da gratiam &c.

PUNCTUM QUARTUM. Applica hic sensus externos, quasi præsens videres diversa genera pœnarum, & corpore sese miserrimè torquentium, tetros aspectus dæmonum, formas, & figuras. Secundo applica auditum ad clamores horridos, ac ejulatum damnatorum. Eheu, eheu nos miseros! *pereat dies in quâ nati sumus, & nox in quâ concepti fuimus. Cur uberibus lactati sumus? cur mise-*

ris

vis data est lux? gusta quoque amaritudines, & tange frigus ingens, ignem acerrimum. Interroga quempiam ex eis, cur, quare, & ob quale, & quot commissa peccata ad æternos hoscè cruciatus devenerit: & responsurus est tibi ob unicum tale, aut tale, quod tu toties commisisti impiè, & sceleste. Æterna igitur sunt inferni supplicia, ô Æternitas! ô Æternitas! quam longa es Æternitas! ô si post centum millia, post milliones, & milliones annorum finis tuus expectari posset, spes esset adhuc, & solatium, sed in æternum, in æternum, & quamdiu Deus erit Deus, tamdiu ardebunt inferi in inferno sine ullo, vel ullius momenti interstitio, concipe inter hæc odium vehementissimum peccati, ride finituras mundi calamitates, defle æternum malum, quod solum malum est: omnem move lapidem, ut te, & alios æternis hiscè cruciatibus expedias.

COLLOQUIUM, ET AFFECTUS.

CONfitebor tibi Domine DEUS meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Psal. 85. O Mitissime DEUS meus, posthac deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua, ne in tale damnationis periculum rursus devolvar. Agnosco mi bone IESU, & fateor, quia millies mori præstat, & omnia hujus mundi mala sustinere, quàm vel semel æternæ damnationis discrimen subire. O Sancti, & Sanctæ DEI, vosque imprimis SS. Angeli, qui damnationis effugistis barathrum, & æternam adepti estis beatitudinem. Scio, quod vobis (ut Christus ore suo fassus est) majus sit *gaudium de uno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta justis.* Agite ergo vestris meritis, singulariter tu O Refugium peccatorum MARIA, ut annos æternos semper in mente habeam, ne unquam ullo peccato DEUM meum offendam. Verùm, quia ex me nihil possum, cum totum à te dependeat, rogo te, Bone IESU, da gratiam, & ne tradas bestijs infernalibus animam de suis peccatis confitentem tibi.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scriptio.

Tessera. *Ex inferno nulla est redemptio.* Vel: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.*

Ex Thom. Kemp. lib. 3. cap. 43. 45. & 46. Ex Director. spiritu-

ſpirituali c. 11. §. 1. & 2. fol. 103. Ex R. P. Paulo Barrij diſſert. de reſpectibus humanis fol. 325. Ex explanat. Regulæ c. 5. de jejunio §. 1 2. & 3. cum adjunctâ praxi.

Aſceta, die heſternâ tibi conſilio fui, ut antequam decumberes, DEO tuo ſupplex fieres, devotione S. Iacobi Apoſtoli: Hodiè tibi propono primorum Chriſtianorum fervidam devotionem, qui in terram proſtrati, proni in faciem DEUM adorabant. Modus hic aſſumptus ab illis eſt poſt Chriſtum, quem S. textus deſcribit ita Patrem ſuum orâſſe in horto Gethſemani. Orabant ita S. Clara de Monte Falc. S. Juſtin. Martyr, & plurimi SS. Eremitarum, imitare, & ora. Pſal. *Miſerere*.

EXAMEN CIRCA HUMILITATEM NOBIS NECESSARIAM.

PRimò. Exiſtimare ſe vilem, & abjectum, & ab alijs talem haberi velle, eligendo ex negotijs, & occupationibus ea, quæ viliora, atque moleſtiora ſunt.

Secundò. Cæteros omnes ſibi præferre, attendendo in ijs dona DEI, & gratias, & obſtupeſcendo, quod aliquis reperiatur, qui noſtri dignetur meminiſſe, aut etiam aliquo nos amore proſequi.

Tertiò. Credere ſe ineptum, & inutilem ad boni aliquid faciendum; plurima nihilominus præſtare, ſed inde nullo modo gloriari.

Quartò. Sæpe animum advertere ad ſuas miſerias, relapſus, & imperfectiones, inde ſumendo occaſionem ſe demittendi, parvique pendendi; peccatorum ſuorum gravitatem, uti merentur, agnoſcendo.

Quintò. In omnibus actionibus noſtris, quantumvis bonæ videantur, reperire quod carpamus, ut quæ refertæ ſint imperfectionibus, quæ oculos noſtros fugiant.

Sextò. Eligere ſemper incommodiſſima in corporis commoditatibus, quaſi melioribus eſſemus indigni, & communia onera libenter exacteque ſubire, nullam immunitatem, aut exemptionem admittentes.

Septimò. Nunquam ſe, aut ſua jactare, neque de ulla re lo-

qui, tanquam authoritatem habentes, ne de rebus quidem ſpiritualibus.

Octavò. Fugere omnem curioſitatem, quæ ad animæ noſtræ bonum, & ſalutem non ſpectat.

Nonò. Nihil unquam in alios ſibi arrogare, neque faſtuoſe, aut affectata quadam gravitate incedere.

Decimò. Seſe alijs propter DEUM ſubjicere, præſertim Superioribus.

Undecimò. Omnem honorem, & bona, quæ nobis conferuntur, ad DEUM referre: indignos nos reputando, & averſando, ſi fortè hinc ab alijs laudemur, aut æſtimemur.

Duodecimò. Non exiſtimare ſibi aliquam prærogativam, aut honorem deberi, ſed in congreſſibus poſtremum locum occupare.

Decimò tertiò. Non turbari, aut affligi, quod aliquid in nobis ſit unde reddamur contemptibiles, aut quod ſimus inter eos, qui ſunt abjectæ conditionis.

Decimò quartò. Non excuſare admiſſam culpam, ſed eam candidè agnoſcere.

Decimò quintò. Omnia aliorum dicta, factaque approbare.

Decimò ſextò. Declinare omnem loquendi, aut agendi modum, quo videamur honeſto loco nati, aut aliquando in ſæculari dignitate fuiſſe.

Decimò ſeptimò. Sibi ob proprias imperfectiones iraſci, ſeque ſeriò reprehendere, & gaudere, quòd alijs noſtræ miſeriæ ſint perſpectæ.

CONSIDERATIO.

MIrabiliora verba non reperio, quàm hæc tria: ſemper, ævum, æternitas; quò plus ea meditor, eò magis me angunt. Futurus ſum ſemper, & in ævum; futurus ſum corpore, & animâ, vel in æternitate tormentorum, vel æternitate deliciarum, idque pendet ab arbitrio, & electione mea. O mira verba ô ſemper! ô ævum! ô æternitas! nunquam animo meo excidite!

Inſignis amentia eſt, laborare pro rebus caducis, & quæ pereunt una cum tempore. Optimus is labor eſt, qui æternitati impenditur. Quis jam meminit fortium illorum, qui vitam, & ſanguinem in bellis, in Regum obſequijs prodegerunt? quis recor-

cordatur eorum Divitum, qui tot ſudores, periculaq; incongerendis opibus exantlârunt? quis jam loquitur de formoſis illis, quæ omne ſtudium ſuum colendæ pulchritudini, vanitatique ſectandæ impenderunt? hæc omnia ſepelivit oblivio: nonne igitur ſatiùs eſt, ijs actionibus incumbere, quæ vitam promerentur carentem fine, quæquè à DEO approbabuntur in annalibus feliciſſimæ æternitatis.

O quantus ille eſt, cui ſervio, & quam tremendus, quandoquidem etiam cogitationum mearum ſibi dari velit rationem? verùm id ita eſſe, vehementer gaudeo. Millies millenas concipiam, quæ illi erunt acceptæ, quæquè illius amorem, benevolentiamque mihi conciliabunt: nullam unquam cogitationem admittam, quæ illum à me avertat. Nimirum heu! antehac tempus perdidi, nolo perdere æternitatem.

O DEUS, aliquane ſtoliditas eſt, quæ cum noſtra debeat comparari? Mortem timemus, quæ nobis aditum ad pulchram æternitatem patefacit; horremus illam, quæ nos carceris noſtri calamitatibus liberat; & illam fugimus, etſi nos eximat occaſionibus offendendi DEUM noſtra perverſitate. Adeſdum amœna amanda, & deſiderabilis Mors. Nunquàm mihi præmaturè aderis Nunc quando te perſpectam habeo, de te potiſſimùm cogitabo, te amabo. Vituperet quiſquis volet, volo mortem amare, ut amem DEUM.

Vix adducor, ut credam mihi non fuiſſe locum jam in inferno deſignatum,meque alicujus ſanctæ animæ patrocinio eſſe revocatum in ſpem cœli conſequendi. Digittis duobus abfui ab inferno, & proximus, ut perpetuò privarer aſpectu IESU, & MARIÆ. Ah! quid me facere non oporteret, ut gratus forem tanto beneficio! ſerò nimis morior, nimis diu ignoro, cui debeam hanc inæſtimabilem charitatem. Scio quid loquar, ſum filius lachrymarum, & ſuſpiriorum: ſed cujus? iſtud eſt, quod adhuc neſcio.

Multùm eſſet, ſi evitare poſſem Purgatorium, & flammas illas incredibiliter excruciantes: ſed quis modus? quandoquidem me tantopere reddam obnoxium peccando, & tam parùm ſatisfaciam patiendo? ſaltem illic parùm detinerer! ſed audio divinitùs manifeſtatum, quod è ſocietate quidam quatuor annis

illic detentus fuerit, etsi in magna virtutis opinione vitam traduxisset; & nobilem quandam puellam totis quingentis annis, ob aliquam vanitatem, quâ juvenum animos offenderat. Quod si ita est, jam ad triginta, vel quadraginta annos, quin forsitan ad finem usque mundi, flammis illis terribilibus deputatus sum, nisi mortificatione, alijsque pœnis vitam meam expiem.

DIES QUARTUS
Dedicatur Sancto Angelo Custodi.
MEDITATIO SEPTIMA.
De tepiditate vitæ.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

HÆc meditatio remedium præscribit mala omnia ea, quæ in via purgativa anima contemplando deprehendit evadendi, estque conclusio viæ purgativæ. Indiget autem attentâ consideratione eorum, quæ puncta proponunt, & affectu voluntatis resoluto, amplectendi solertiorem vivendi modum, & diligentiam bona opera peragendi cum fructu, & attentione. Disponitur autem per puncta hæc.

MEDITATIO SEPTIMA.

De tepiditate vitæ.

Oratio Præparatoria ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginare hominem phtisi correptum, qui neque dejicitur ad lectum, neque vigore pollet corporis, sed languidus in omnibus actionibus suis nihil strenuè, ac fructuose peragit: sic anima desidiâ, ac torpore correpta, veluti solis radius brumalis, licet calefaciat, & luceat, tamen nullum fructum, nullumvè virorem efficit.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pete gratiam à DEO, ut intimè cognoscere valeas damna ex vita tepidâ oriunda.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primo, quod omne vitæ spatium

tium tibi à DEO concessum sit, ad vitæ æternæ lucrum, ut quodlibet momentum temporis ad cœlestem lucrandam gloriam impenderes: quare si minimum punctum hujus, taceo horam, vel diem sine lucro elabi permiseris, incomparabilis boni patieris jacturam. O si damnatis indulgeretur illud tempus, quod tu tam inaniter, & desidiose, imò sæpius scelestè consumis, quantam bone DEUS agerent pœnitentiam. Dæmon aliquis ex obsessa affirmavit personâ, si DEUS post extremum judicij diem illi spei aliquid, vel temporis ad cœlum promerendum accommodaret, solum se pro DEO plura, quam universos homines peracturum. Ante istum majora dixerat alius, cum etiam rogaretur, quid maximè illum in inferno affligeret? Heu respondit! quod tempus illud, quod amando DEO, & beatitudini merendæ concessum fuerat, tam malè collocârim, plus tamen, quam horæ semi Angelos rebelles non habuisse communis fert Theologorum sententia. O si in purgatorio existentes animæ hoc tempus nancisci possent, quanto cum lucro illud impenderent, quas virtutes, quæ genera mortificationis, &c. operarentur. Certè socordia magna est pretiosissimum thesaurum tam desidiose deperdere, si actus amoris DEI, si charitatis, si patientiæ, &c. dum segnes sumus operaremur, æternæ vitæ fructus in cœlis nos maneret. Disce imposterùm nullum tempus sine lucro spirituali elabi, sed semper aliquid pro anima operari.

AFFECTUS.

SI Dæmones agnoscunt pretiositatem temporis, mediæ etiam horæ, aut quadrantis, ut quid ergo tam grandi otio hactenus valorem illius perdidi? quid mihi agendum erit pro gloriâ æternâ consequendâ, si damnatorum Princeps, aut unus ex illis paratus est subire omnia mundi tormenta? agam ergo imposterùm cuncta opera mea omni, quâ potero sedulitate, nec unum momentum absque fructu spirituali elabi permittam.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera secundò, negotiatores hujus sæculi quanta dexteritate, sollicitudine pro caduco lucro desudent, nummum nummo addunt, ut perituras divitias congregent, nulli parcunt labori, ut fructum reportent. Quantis periculis se committunt, maria peragrant, loca periculosa transeunt, noctes agunt insomnes, æstus, frigus, pluvias cum magna

sustinent patientia. Verè *prudentiores sunt filij hujus sæculi filijs lucis, id est,* ut explanat Dion. Carthus. *prudentiores, hoc est astutiores, & diligentiores in acquirendis temporalibus.* Vel ut scribit Euseb. Emis. *Prudentiores sunt illi in malo, quam isti in bono. Vix enim inveniuntur aliqui Sancti, qui tantam curam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam aviditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus, pro his enim die noctuq; vigilant, angustiantur &c. & per fraudes, rapinas, furta, & his similia has tales divitias coacervare non cessant.* Expergiscere tu quoque, & pro æternis divitijs nunquam perituris nullis parcas laboribus, sed strenuè ubicunque potes, & vales, gemmas virtutum pro cœlesti gloria comporta: & perpendas velim, negotiatores sæculi hujus crebrius incerti de lucro ad fortunam laborant tam sedulò, tibi verò DEUS certam promisit mercedem immarcessibilem gloriæ coronam, cur torpes?

AFFECTUS.

PRoh pudor anima mea, si nondum desiderio spirituum infernalium sapis, disce saltem perennes quærere thesauros ex insatiabili studio filiorum sæculi in congregandis perituris divitijs. Ut quid conquereris, te nec posse, nec valere? potuisti, sed noluisti, plus fecisti pro gloriâ tua, quàm DEI, & æternâ. Noli ergo declinare à mandatis, alias maledicta eris.

PUNCTUM TERTIUM. Perpende, tepidè, & sine attentione agendo, quantam bonorum operum patiaris jacturam. Imo opera, quæ facis, si psallas, si jejunes, si ores, si studeas, si vigiles sine debita attentione, & fervore debito, vana, & nullius pretij sunt apud DEUM: quæ si fervidè facias, gratiam à DEO majora faciendi mereris, nunc autem & meritum eorum perdis, & gratiâ antehabitâ in pœnam tepiditatis, & tepidi operis à DEO spoliaris. Recole quoties per annum Gloria Patri recites, quoties Pater noster, quoties Ave, quoties Psalmos Davidicos Miserere &c. quot inclinationes &c. Sanctimonialis computans per annum, quoties orationem Dominicam, aliosque actus religionis perficeret, & reperit se duodecies millies quadringenties S. Orationem Dominicam, millies quingenties Salve Regina, & plus quadragies millies Gloria Patri &c. per annum recitare, puto si non plus, saltem tantum te precum fundere, quæ, si devotè, & attentè persolveres, immensum meritorum cumu-

lum

lum comparares: nunc pro lucro jacturam ferre cogeris irrisor DEI existens. Time imposterùm illud reprehensionis verbum: *Populus hic labijs me honorat, cor autem longè est à me.*

AFFECTUS.

NUnc video insipientiam meam, agnosco irrecuperabile damnum animæ meæ, quod resarciri amplius non poterit: tot infinitos meritorum thesauros, tot innumerabiles coronas, tot, tantósque gradus gloriæ, ah quam miserè perdidi! neglexi maledictus factus, quia feci opus DEI negligenter. Addam itaque singulis operibus meis intentionem piam, & sanctũ finẽ semper.

PUNCTUM QUARTUM. Considera, perfunctoriè, & desidiose agendo, consuetudinem acquires perfunctoriè, & negligenter agendi, & quidem ea, quæ te obligant sub peccato mortali, ut est Breviarium, celebratio Missæ, votum paupertatis, castitatis, obedientiæ, &c. deindè tepidus exponit se ludibrio diaboli, redditurque insufficiens ad resistendum leviusculæ tentationi, sicque sibi viam sternit ad multitudinem peccatorum venialium, quæ viam sternunt ad peccata mortalia ut de tali verificetur: *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Et ut loquitur Abbas Theodorus apud Cass. col. 6. cap. ultimo: *Lapsus quisquam nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordio, aut propter longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente.* Eo quod simili desit animi vigor, & fortitudo, denique tepidum esse nihil aliud est, quam orare, & meditari sine sensu animi, ægrè se recolligere, in res externas libenter effundi, quærere solatiola à rebus creatis, Religionis disciplinam olim suavem, nunc gravem dicere: tardè, & repugnanter obtemperare, immunitates, & commoda quærere, dicta, facta, & cogitata absque emendationis proposito cursim examinare, profiteri, se plus laborare alijs &c.

COLLOQUIUM, ET AFFECTUS.

ALloquere IESUM ad puteum jam fessum sedentem. Mi bone IESU, ecce tu indefesso opere, & labore fatigaris salutem meam quærens, laboras, & sudas, ut ego in cœlis coroner. Aufer à me tepiditatem cordis, & succende animam meam flammâ amoris tui, ut ego modica portio, & creatura tua te laudare sedulò possim: magnus etenim es, & laudabilis nimis. Ne

quæ-

quæso patiaris me spiritu desidiæ in tuo servitio deprimi, sed fervidè tibi laborans valeam terribilia novissima, quæ hucusque tuo munere inspexi, fiducialiter pertransire. Da mi IESU, quod jubes, & jube quod vis: jubes me devotum tibi præstare obsequium, largire gratiam, & facturus sum, quod jubes.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio.

Tessera. *Maledictus, qui facit opus DEI negligenter.* Vel: *Hilarem datorem diligit DEUS.*

Ex Thom. Kemp. l. 1. c. 25. & lib. 2. c. 4. & lib. 1. c. 9. Ex Direct. spirit. part 3. c. 1. 2. & 3 fol. 219. Ex R. P. Paulo Barrij dissert. de spiritu fervoris fol. 165.

Post cultum B. Virginis primum sibi obsequium vendicat tutelaris noster S. Angelus Custos, quem revereri, quem diligere, ipsius erga nos sollicitudo, & amor suadet. Hic vigilat pro nobis. Undè loquitur S. Bernard. *Quid sub tantis Custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris: fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione DEI cæli commoremur.* Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, *invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum &c.* neque tam vile quidpiam est, quod in nostrum tum animæ, tum corporis bonum non exequatur. Ita legitur, quòd Beato Drodomo omnia ad sacrificium Angelus præparaverit, eique inserviverit in Ecclesia maximè deserta, ad iter prosequendum jumentum cum fræno, epiphio, sella, stapedibus, stabularij instar aptaverit. Elisabethæ Rithæ, dum ægra esset Angelus valetudinarij præfecti vices subijt, ministravit, lectum stravit. De D. Bernerdino Realino refertur, qui cum fortè baculum in domo, ubi confessionem exceperat reliquisset, stupentibus domesticis eum asservare volentibus Angelus Custos retulit, & sæpè luto infectum repurgavit. Enulpho puero morti vicino extremam unctionem Angelus contulit. Basilides mare cum socijs trajecturus, Christum ad clavum sedentem Gubernatorem habuit, Angelos verò remiges. B. Ioannem ad Constantiam sanctimonialem in cella animam agentem cum sacratissimo viatico perduxit, ut illam pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis instrueret, mortuâ Constantiâ Angelus Ioannem

per

per 15. millia passuum domum reduxit. S. Ferreolum Martyrem suis alatis humeris per Rhodanum devexerunt. S. Condrato adhuc infanti cum in cunis matrem amisisset Angelus nutritius fuit, qui è nube cœlesti eum lacte pavit, & educavit ad illam indolem, ut postea per flagra martyrij cantando iret ad mortem.

Ludovico Burgundo, Angelo Custodi devoto de universa Philosophia in examine constituto in aurem quid, qualiter, quove loco respondendum esset, Angelus suggessit. Joannæ Urbevetanæ parvulæ orphanæ Angelus matris instar fuit, undè, cum nescio quis illam orphanam esse, & matre carere diceret, illum ad familiarem S. Angeli Custodis imaginem duxit, & dixit: *Scito, hunc Angelum mihi in matrem esse, à quo adhuc parvula omnia pietatis, & fidei documenta percepi.*

S. Fulgentiam Romanam à personato dæmone propter spurcitiam apud Judices accusatam in publico consessu Angelus, ut Advocatus cum stupore Judicum defendit.

Quapropter singulis diebus in ejus honorem certas persolve preces, Officium, Litan. Hym. aut substratum Rosariolum, quod tali formâ oratur.

Loco Credo dicitur Psalm. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 137.

Loco Pater noster, seu ad globulos majores oratio sequens: DEUS, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum &c.

Ad minores hæc: Sancte Angele DEI, qui custos es mei, me tibi commissum pietate supernâ hodie, & in horâ mortis meæ illumina, custodi, rege, guberna Amen.

EXAMEN DE DILIGENTIA SPIRITALI.

PRima. Magno ferri desiderio, ut in vita spirituali proficias, teque penitùs DEO consecres.

Secunda. Generosè superare ea, quæ proprius amor maximè formidat: contemptus, confusiones, humiliationes, & omne genus mortificationis, & abnegationis voluntatis propriæ.

Tertia. Sæpè facere bona, firmaque, & constantia proposita.

Quarta. Operibus præteritis, & propter DEUM peractis non attendere, sed peragendis studere, & ad anteriora, ut Apostolus ait, se extendere.

Quinta. Labores suos, etsi assidui sint, & notæ alicujus, tamen modicos existimare, parvique facere.

Sexta. Declinare usum earum personarum, sive Sæculares, sive Religiosæ sint, quæ nos distrahunt, & negotijs, aut cogitationibus, ab recollectione interna alienis implicant.

Septima. Nullam ab ordinarijs exercitijs exemptionem, aut immunitatem quærere, aut admittere, ut liberius arbitrio nostro vivamus.

Octava. Amare illam sanctam captivitatem, quâ multarum rerum minutarum observationi adstringimur.

Nona. Affici studio orationis, eamque cum gustu, & animi attentione peragere.

Decima. Facilè revocare animum ad interiora, sibique attendere.

Undecima. Sedulò examinare conscientiam, cum animadversione defectuum suorum, & emendationis proposito.

Duodecima. Molestè se rebus exterioribus impendere, nisi sit ad opem proximo ferendam, aut boni alicujus operis exercitationem.

Decimatertia. Amare disciplinam Religiosam, aut antiquas nostras devotiones, eodem affectu, quo illas initio conversionis nostræ prosequabamur.

Decima quarta. Libenter sese occupare, & otium fugere.

Decima quinta. Impensè in salutem animarum incumbere.

CONSIDERATIO.

SIc est profectus noster, ut nullum illi comparando negligi tempus queat; continuò prosequendus est, magnâquè assiduitate, neque in itinere benè cœpto fatigari, aut lentescere nos oportet. In cæteris omnibus sua sint intervalla, & tempora quietis, hic nulla conceduntur.

In arbitrio meo est, magnam consequi sanctitatem: solius defectu fervoris gloriosam illam coronam, quam DEUS offert amitto. Multum perdo per ignaviam meam, utinam non omnia.

Quid servus meretur, qui loco laboris, quem impendere Domi-

mino suo deberet, totos dies consumit risu, nugis, otio, desidiaque? quid ille dicet Domino operæ suæ mercedem exigenti? ah! ego servus ille sum.

Præcepit D E I Filius, ut arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindatur, & in ignem mittatur. Utinam anima mea sit arbor bona, quæ firmas agat radices, ut quacunque occasione extendere, & impendere virtutum exercitio me possim; ut undequaque crescam per intentionem, & fervorem actionum mearum; ut non producam fructus vanâ gloriâ, aut amore proprio, humanoque quæstu corruptos.

Omnia nos stimulant, ut tandem pigritiæ nostræ pertæsi, magnum in virtutibus progressum facere satagamus. Primò, crescit corpus, & justam suam perfectionem assequitur, quid ni, & anima mea quoque suam? Secundò, laude dignus mercator est, qui maximum quæstum facit, & labore suo amplificat rem familiarem: opes ego majores comparare mihi possum. Tertiò, suspicitur Princeps, qui armorum virtute justoque bello novas ditioni suæ provincias, novaque regna adjungit: & impedire nihil me potest, quin exiguo labore regna occupem excellentiora. Ignavus sit, qui volet, ego esse deinceps nolo.

Potior est dies unicus in fervore, & actionibus ex DEI amore peractis decursus, quam mille alij, qui sensuum cupiditatibus, & propriæ voluntatis satisfactioni impenduntur: quia ex mente Divi Augustini: *Quodcunque tempus amando DEO non impenditur, perditur.*

REGULÆ ALIQUOT AD MOTUS

animæ, quos diversi excitant Spiritus, discernendos, ut boni solùm admittantur, & pellantur mali.

PRIMA Regula est: Quòd illis, qui facilè peccant lethaliter, & peccatum peccato addunt, ferè solet inimicus noster illecebras carnis, & sensuum delectationes objicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus verò bonus è contrario, conscientiam illorum pungit assiduè, & per synderesis, rationisque officium, à peccando deterret.

SECUNDA. Quòd alijs hominibus, qui se à vitijs, & peccatis purgandos curant sollicitè, & in obsequij divini studio magis,

ac magis in dies promovent, immittit ſpiritus malignus moleſtias, ſcrupulos, triſtitias, rationes falſas, & alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono ex oppoſito proprium, conſuetumque eſt, rectè agentibus animum, ac vires addere, conſolari, devotionis lachrymas ciere, illuſtrare mentem, & tranquillitatem dare: ſublatis obſtaculis omnibus, ut expeditiùs, alacriuſque per opera bona ſemper ultra tendant.

TERTIA. Quòd ſpiritualis propriè conſolatio tunc eſſe noſcitur, quando per internam quandam motionem exardeſcit anima in amorem Creatoris ſui: nec jam creaturam ullam, niſi propter ipſum, poteſt diligere. Quando etiam lachrymæ funduntur amorem illum provocantes, ſive ex dolorè de peccatis profluant, ſive ex meditatione paſſionis Chriſti, ſive alia ex cauſa qualibet, in DEI cultum, & honorem rectè ordinata. Poſtremò, conſolatio quoque dici poteſt, Fidei, Spei, & Charitatis quodlibet augmentum. Item lætitia omnis, quæ animam ad cœleſtium rerum meditationem, ad ſtudium ſalutis, ad quietem, & pacem cum Domino habendam, ſolet incitare.

QUARTA. Quòd ſpiritualis è contra deſolatio vocari debet quævis animæ obtenebratio, conturbatio, inſtigatio ad res infimas, ſeu terrenas: omnis denique inquietudo, & agitatio ſive tentatio, trahens in diffidentiam de ſalute, & ſpem, charitatemque expellens: undè ſe anima triſtari, tepeſcere, ac torpere ſentit, & de ipſius DEI Creatoris ſui clementia propè deſperare. Sicut enim conſolationi opponitur deſolatio; ita etiam, quæ ab utraque oriuntur, cogitationes, ſunt inter ſe prorſus oppoſitæ.

QUINTA. Quòd tempore deſolationis nihil deliberandum, aut innovandum eſt, circa propoſitum animi, aut vitæ ſtatum; ſed in eis perſeverandum, quæ fuerant prius conſtituta, puta præcedente die, vel horâ conſolationis. Quemadmodum enim dum fruitur quis conſolatione illâ, quam diximus, non proprio ſuo, ſed boni ſpiritûs inſtinctu regitur; ita, obverſante ſibi deſolatione, agitur à malo ſpiritu, cujus inſtigatione nihil unquam rectè conficitur.

SEXTA. Quòd tametſi deſolatione affectus homo, priora ſua con-

consilia minimè debet immutare; expediet tamen provideri, & augeri ea, quæ contra desolationis impulsum tendunt: qualia sunt, insistere orationi, cum discussione sui, ac pœnitentiæ aliquid assumere.

SEPTIMA. Quòd quamdiu premimur desolatione, cogitandum est, nos interim relinqui à Domino nobis ipsis, probationis causâ, ut per naturales quoque vires insultibus inimici nostri obsistamus: id quod possumus haud dubiè, assistente nobis jugiter præsidio divino, licèt tunc nequaquam sentiatur, eò quòd fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relictâ nihilominus gratiâ, quæ ad benè operandum, & ad conseqnendum salutem satis esse queat.

OCTAVA. Quòd hominem tentatione pulsatum mirè juvat patientiæ servandæ studium: ut quæ vexationibus hujusmodi propriè opponitur, & è diametro resistit. Accersenda etiam spes est, & cogitatio adfuturæ brevi consolationis: si præsertim per Sanctos conatus, in sexta regula signatos, desolationis impetus frangatur.

NONA. Quòd causæ desolationis tres sunt præcipuæ: *Prima*, quia propter nostram in spiritualibus studijs, seu exercitijs tepiditatem, atque acediam, consolatione Divinâ meritò privamur. *Secunda*, ut probemur, quinam sumus, & quomodo in DEI servitium, & honorem, absque præsente quodam consolationum, donorumque spiritualium stipendio nosmet impendimus. *Tertia*, ut certi planè simus, nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lachrymarum, aut aliam quamlibet internam consolationem: sed omnia hæc gratuita esse DEI dona, quæ si vendicemus nobis ut propria, superbiæ, & vanæ gloriæ crimen, non sinè salutis gravi periculo, incursuri sumus.

DECIMA. Quòd fruenti homini consolatione, prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit desolatione deinceps occurrente, ut jam indè acrimoniam, & robur animi maturè comparet, ad impetum ejus reprimendum.

UNDECIMA. Ut ille idem, affluente consolatione, seipsum deprimat, ac vilifaciat quantum potest, reputando secum, quam imbellis, quamque ignavus esse apparebit desolatione impu-

gnante, nisi per gratiæ, consolationis Divinæ opem citò sublevetur. Contra verò ille, quem desolatio molestat, æstimare debet, cum DEI gratia se posse plurimum, facileque adversarios suos omnes devicturum esse, dummodo in DEI virtute collocet spem suam, & animum suum corroboret.

DUODECIMA. Quòd hostis noster naturam, & morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium, & animi pervicaciam: nam sicut fœmina cum viro rixans, si hunc conspexerit erecto, & constanti vultu sibi obsistere, abjicit illico animum, ac terga vertit, sin verò timidum, fugacemque esse animadverterit, in extremam surgit audaciam, & in illum ferocitèr invadit; itidem consuevit dæmon, animo, & robore planè destitui, quoties spiritualem athletam corde imperterrito, ac fronte arduâ tentationibus videt reluctari. Sin autem trepidet ad primos impetus sustinendos, & quasi animum despondeat; nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferacior, acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra, malignæ, obstinatæquè mentis suæ desiderium adimpleat.

DECIMA TERTIA. Quòd idem inimicus noster morem insequitur nequissimi cujuspiam amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicujus probi, volens seducere, summopere procurat, ut verba, & consilia sua occulta sint, nilque reformidat magis, ac ægrè fert, quàm si puella patri suo, vel uxor marito illa patefaciat: cùm sciat hoc pacto de votis, ac conatibus suis actum esse. Ad eundem modum obnixè satagit diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas suggestiones teneat secretas. Indignatur verò maximè, & gravissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini, molimina sua detegantur, à quibus ita excidere se funditus intelligit.

DECIMA QUARTA. Quòd solet etiam adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare, atque deprædari cupiens, exploratâ priùs naturâ, & munitione loci, debiliorem partem aggreditur; sic nimirum, & ille circuit animam, & calidè inquirit, quarum nam virtutum præsidijs, moralium, scilicet, aut theologicarum, ipsa vel munita, vel destituta sit: eaquè potissimùm parte, machinis omnibus admotis, irruit, ac subver-

vertere nos ſperat, quam in nobis minùs cæteris firmatam, cuſtoditamque eſſe præviderit.

MONITA SALUBRIA AD BENE MORIENDUM.

QUidquid moriens optares te egiſſe, hoc age modò. Quidquid factum eſſe volueris, hoc alijs non committe poſt mortem tuam faciendum, ſed tu ipſe fac. Si enim in tua ſalute tu ipſe negligens fueris, tibi atq; infidelis, quomodo alieni tuam felicitatem curabunt, noli ſuperincertis ſperare, & vanis promiſſis, nec dubijs eventibus te comittas: vive & ſic age, ut ſis in conſcientia tua tranquilla, & quaſi hodie moritura. Nunquam eas dormitum, quin hujus diei curſum, vitæquè tuæ conditionem, actuſq; expenderis. Diſcute, & in judicium voca cor tuum, & omnes ſenſus tuos, & meliornè, deteriorvè facta ſis hodie perquire. Nunquam ea conſcientia eas dormitum, quâ non auderes mori. Si invenis te in eo ſtatu, quo timeas mori, perquire hujus timoris cauſam. Nam fortaſſe peccata in te ſunt, quorum necdum pænituiſti, aut renuis confiteri, aut à peccatis, & peccatorum occaſionibus abſtinere recuſas, in officio, ſeu conditione aliqua vivis, quam adverſor, aut in odio, aut injuſta rerum poſſeſſione perſeveras, aut temporalium cupiditati, ſive voluptati nimiùm innixa, aut creaturæ cujuſpiam amore illicito capta, aut terrenorum, atque viſibilium (puta honoris, & divitiarum) oblectatione merſa te convertere non vales ad me, nihil eorum, quæ ſpiritus ſunt, ſapiens, ſed ad exteriora tantùm effuſa, & Divina nauſeans, mortem ideò formidas, quia malè ſibi conſcia mens tua, poſt mortem ſibi prænunciat futura tormenta, quidquid horum in te fuerit, execrare, perſequere, & quantùm potes liberam te facere debes. Ad hoc juvat, mea veſtigia, & crucem amplecti, atque rigore animi ſanctoque odio contra te aſſumpto, bellum vitijs omnibus indicere, voluntatem non peccandi ſtatuere, ſæpè numero, ac infatigabiliter eandem renovare, nulla infirmitate, aut puſillanimitate dejici, mea, & Sanctorum exempla contemplari, orationibus, & exhortationibus bonorum ſe commendare, inſpirationibus internis, ac bonis acquieſcere, orationi, ac lectioni ſacræ incumbere, otia nunquam admittere, & ſilentium atque ſolitudinem amare, hæc & hujuſmodi immutant animi pravitatem, & depellunt moriendi

for-

formidinem, ad cujuslibet diei finem cùm perveneris, dic tibi ipsi: *Jam ad unum diem brevior facta est vita mea.* Manè cùm surgis dic: *O pie DEUS, jam ad noctem unam morti sum vicinior.*

SUbnectuntur hic pro fine Viæ Purgativæ animæ in hac vita versanti, & simul toto vitæ tempore plurimum profutura, atque necessaria, proindè meritò sæpius perlegenda, & in praxim deducenda B. Vincentij Dominicani Documenta, seu consilia saluberrima: in quibus se exercere debet, quisquis cupit evadere laqueos diaboli, ne ijs aliquando irretitus ab æterna sua salute excidat.

Qui vult fugere atque evadere laqueos, atque tentationes AntiChristi, seu diaboli finales, debet habere in propria cognitione sui, duo. Primò, quod sentiat de seipso, sicut de uno corpore mortuo, pleno vermibus, & malè olente, & sicut de uno cadavere, quod dedignatur homo videre, & intueri, imò super quod claudit nares propter ejus odorem pessimum, & fœtorem, & à quo avertit faciem, ut non videat talem, & tantam abominationem. Sic oportet charissime facere semper mihi, & tibi; sed plùs mihi, quia tota vita mea fœtida est, totus fœtidus, & corpus meum, & anima mea, & omnia quæ intra me sunt, fœce & putredine peccatorum, & iniquitatum fœtidissima, & abominabilissima sunt, & quod deterius est quotidie hunc fœtorem in me sentio recentius, & angustius renovari. Et debet talem fœtorem de seipsa sentire fidelis anima cum maxima verecundia coram DEO, sicut coram illo, qui omnia videt, & scit, sicut si esset coram districto judicio; & dolere maximè de offensa DEI, & perditione gratiæ animæ, in qua erat, quando redempta fuit pretiosissimo sanguine, & abluta per baptismum. Et sicut sibi, & DEO fœtere se credit, & sentit, sic etiam credat, ac sentiat, quòd non solùm coram Angelis, & Sanctis animabus, sed etiam coram omnibus hominibus viventibus sit abominabilis & fœtidus, & quod facta, & dicta sua non solùm homines videre, & audire dedignantur, sed quod nares suas claudant, & avertant facies, ne ipsum videant, & tanquam fœtidum cadaver de medio eorum expellant, & sit ab eis alienatus, & separatus, & projectus, sicut plusquam leprosus usquequo veniat, & reveniat ad seipsum. Et si quis de eo justitiam faceret, de corpore suo

sentiat

sentiat, quod justum est, & ita credat, etiamsi sibi oculi eruerentur, nasus truncaretur, manus abscinderentur, & aures, & os, & sic de alijs sensibus corporalibus, & membris, quia cum his omnibus DEUM offendit, & Creatorem. Item quod despici desideret & contemni, & quod omnia vituperia, verecundias, diffamationes, injurias, blasphemias, & cætera adversa summo cum gaudio & lætitia recipiat, & patienter ferat. Et oportet, quòd diffidas de teipso totaliter, & de omnibus bonis tuis, & de tota vita tua, & convertas te totum, & reclines super brachia Christi pauperrimi & vilissimi, & improperati, despecti, mortui propter te, usquequo tu his mortuus in omnibus sensualitatibus tuis humanis, & IESUS Christus crucifixus vivat in corde tuo, & in tua anima, & totus transformatus, & transfiguratus cordialiter sit in te, ut nunquam videas, nec sentias, nec audias, nisi ipsum solum stantem in cruce propter te mortuum, & suspensum ad exemplum Virginis MARIÆ, mortuus in mundo, & vivens in fide: & quod in illa fide vivat anima tua usque ad resurrectionem in qua Dominus immittet gaudium spirituale; & donum Spiritus Sancti in anima tua, & in illis personis, in quibus debet renovari status Apostolorum, & Ecclesiæ sanctæ DEI, exercens te in Sanctis orationibus, sive sanctis meditationibus, & affectionibus ad obtinenda dona virtutum, & gratiarum DEI.

Sed debes præcipuè septiformi affectu exerceri ad Dominum. Scilicet primò, amore ardentissimo. Secundò, timore summo. Tertiò, honore debito. Quartò, zelo constantissimo, Quintò, illis debet adjungi gratiarum actio, & vox laudis. Sextò, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & Septimò suavitatis Divinæ pro posse degustatio. Et ideò continuò debes ista septem devotè petere à DEO, utpotè dicendo. Bone IESU, fac ut totis medullis amem te, summè timeam, reverear, & ex omni honore tuo fortissimè zelosus sim, ita, quòd omne tuum opprobrium, tanquam tuæ gloriæ zelotibus vehementissimè exhorrescam; & potissimè si in me, aut à me, vel per me facta sunt tibi opprobria illa.

Deindè, da etiam, ut te Dominum tanquam tua creatura humiliter adorem, & præcognoscam, & de omnibus beneficijs à

te mihi impenſis gratias ſemper agam, & hoc cum ſumma gratitudine cordis. Da etiam, ut in omnibus te benedicam, laudem, & magnificem, & hoc cum ſummò jubilo & tripudio cordis, & tibi in omnibus obtemperans, & obediens ſemper reficiar dulciſſimâ tuâ, & ineffabili ſuavitate cum Sanctis tuis Angelis, & Archangelis conſidens menſæ tuæ, licet omnimò ingratus, & indignus. Qui cum Patre, & S. Spiritu vivis in ſæcula &c.

Debet etiam circa ſeipſum ſe exercere alio ſeptiformi affectu. Primò ſcilicet, quod totus de ſuis vitijs, & defectibus confundatur. Secundò, ut peccata ſua, tanquam DEI offenſiva, & ſuiipſius maculativa, acutiſſimo, & acerbiſſimo dolore plangat, & deploret. Tertiò, humiliatio ſui, & conculcatio cum contemptu: ut ſcilicet totis viribus, ſe ſicut rem viliſſimam, & fœtidiſſimam ſpernat, & contemni appetat. Quartò, rigore ſeveriſſimo ſit erga ſe, ut ſcilicet corpus ſuum aſperrimè maceret, & macerari appetat, tanquam peccato fœtidum, imò tanquam latrinam, & ſentiam, & cumulum omnium fœditatum. Quintò, ira implacabili contra omnia vitia ſua feratur, & contra radices, & inclinationes vitiorum ſuorum. Sextò, ſit vigore pervigili, & ſtrenuo, ut ſcilicet omnes ſenſus, actus, & potentias ſuas ſemper cum quadam virili ſtrenuitate in omne bonum teneat pervigiles, & attentos. Septimò, diſcretione perfectæ modeſtiæ, ſeu moderantiæ, ut ſcilicet in omnibus diſtrictiſſimè ſervet menſuram, & modum inter *nimium* videlicet, & *ſatis*: ut ſcilicet nihil ſit in eo ſuperfluum (quod vocant per exceſſum) nihil diminutum, aut defectivum (quod vocant per defectum) nec plùs, quàm debet, nec minùs quàm decet, ſemper enim medium rationis obſervandum eſt.

Debet etiam circa proximum ſe exercere alio ſeptiformi affectu. Primò ſcilicet, per piam compaſſionem: ut ſcilicet ita ſentiat aliorum mala, & incommoda (quòd maximè eſt charitatis) ſicut ſua. Secundò, per dulcem congratulationem, ut ſcilicet de aliorum bonis lætetur, ſicut de ſuis. Tertiò, per tranquillam ſupportationem, & condonationem ſe exercere debet, ut ſcilicet moleſtias, & injurias ab alijs illatas patienter tolleret, & ex corde indulgeat, & condonet, (quod maximè conducit ad obtinendam remiſſionem propriorum peccatorum noſtro-

rum, siquidem in oratione Dominica ita petimus: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quartò, per benignam affabilitatem: ut scilicet sit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet, & optet, & talem se exhibeat etiam in gestibus suis, & verbis. Quintò, per reverentiam humilem se debet exercere, scilicet, ut omnes sibi præferat, & omnes revereatur, & omnibus ex corde se subdat juxta illud scripturæ: Superiores sibi invicem arbitrantes, & juxta sapientum effatum; non nocet vilissimum te reputando sub omnium pedibus reponere, & omnes te meliores esse existimare, nocet autem si vel uni te præferas idque faciendum tanquam si tui sint Domini. Sextò, per concordiam unanimem,ut scilicet quantum in te est, & quantum secundum DEUM potest esse, unum sentias cum omnibus, & ita sentias te esse omnes, & illos te; omnium rectum velle pro tuo reputes, & è contra, concordia enim per S. Thomam ex charitate procedens, est illa: quæ importat unionem appetituum diversorum v. g. hominum, importat etiam unionem appetituum in uno, eodemque homine, undè homo non patitur repugnantiam inter se suorum appetituum, & motuum animi. Felix qui cor suum pacificat, & ita illud componit, ut unicè ad unum DEUM omnes affectus tendant compressâ carnis concupiscentiâ, & lege peccati, quæ facit repugnantiam cum lege Divina, & contradicit legi mentis nostræ, sive affectui sancto, & dictamini recto. Septimò, debet se exercere per Christiformem sui pro omnibus oblationem: scilicet, ut ad instar Christi pro omnium salute sit solicitus, & paratus ponere vitam suam,& die, noctuque orare, aut laborare, eò quòd omnes in Christo inviscerentur, & Christus in eis.

Sed tamen, ne ex hoc credatur, quin vitia hominum sint pro toto posse cavenda, & fugienda, est sciendum quod quandocunque ex societate malorum hominum, vel imperfectorum periculum imminet, vel occasio retrahens,vel impediens à perfectione, vel fervore prædictarum virtutum, debes à talibus, sicut à serpentibus, vel draconibus elongari.

Non enim carbo est tam ignitus, quin in aqua frigescat, aut tepescat, sic è contra vix est carbo ita frigidus, quin acervo carbonum ardentium non accendatur. Alias ubi periculum hujus-

jusmodi non imminet, ex mera simplicitate debes aliorum non videre defectus, aut si videas, per compassionem debes hæc supportare ut tua.

Ut autem ad temporalia utiliter, & æterna te habeas, perfectè scitò, quod temporalia debes aspicere sub quadruplici sensu. Primò scilicet tanquam peregrinus, & advena, sentias ut extranea, & aliena, in tantum, ut tua vestis tuo sit sensu ita extranea, ac si esset in India. Secundò, ut in tuo usu abundantiam timeas, ut venenum, & mare submergens. Tertiò, ut in tuo usu inopiam, & egestatem sentias, quia est ipsa scala, per quam ascenditur ad cœlestes divitias, & æternas Quartò, ut societatem contubernalium, & apparatum divitum, & magnatum fugiens non ex contemptu, tantum de societate pauperum, & fratrum tuorum glorieris, & in memoria, & in aspectu, atque conversatione pauperum, & despectorum totus læteris, quasi qui exprimunt imaginem Christi, quæ imaginatio maximè quadrat circa Religiosam personam, magis enim pauper es, quàm qui necessitate talis evasit, & eis, quasi Regibus cum summa alacritate, & jucunditate, affabilitate, & reverentia associeris.

NOTATIO QUÆDAM UTILIS.

NOta insuper tibi semper fore observandum in quavis lectione rerum sacrarum, atque meditationum, dum eas legis, aut legi audis, diligenter memorandum esse, id quod B. Augustinus Pater noster serm. ad fratres docet, quod tunc D E U S tibi loquatur, illud scilicet, quod scriptum est in libro, aut pia aliqua notatione, ille enim mentem veritatum illarum, quæ scriptæ sunt, lumine illustrat, voluntatem verò beato igne similium affectuum accendit Quapropter non properanter, & cursim, sed attente, & magnâ animi quiete, ac tranquillitate tibi spiritualia sunt legenda, ruminando, & multùm æstimando, ea quæ legis, vel legi audis, atque sensus eorum benè erit percipiendus, orabisque cum Sanctissimo Propheta Samuele, tantùm intra te, vel etiam tenui externâ voce dicendo cum magno ad DEUM pietatis affectu, *Loquere Domine: quia audit servus tuus*

Sed & illud advertendum est, quod spiritualis doctrina undecunque sit desumpta (quod etiam locum habebit in omnibus alijs honestis studijs) in nostram transire debeat, eâque sit ita uten-

tendum, ac propria noſtra inventione foret comparata, eritque coram DEO ita offerenda proprijs noſtris verbis dum eam facimus, vel meditationem &c. aut alios inſtruimus.

DE VIA ILLUMINATIVA.

ABſoluta Via, quam Purgativam vocant in SS. exercitationibus, tranſitur ad illuminativam. Jllâ enim purgatur anima à vitijs, & vanis cupiditatibus, hâc ad virtutum exercitium Chriſti Domini exemplo, & imitatione illuminatur: *Qui dixit exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos facitis.* Joan. 13. ℣. 15 Porrò meditationes Viæ Jlluminativæ exhibent motiva nos inducentia ad paſſionum mortificationem, quæ noſtram obſcurabant mentem, & ad virtutum ſacrarum amorem, per quas ad DEUM accedimus, ab eoque illuminamur juxta illud: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Præterea inducunt nos ad ſequendum Chriſtum, quem,, *qui ſequitur non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, eſt etenim lux mundi, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Undè Via dicitur Jlluminativa, ex quâ deſcendit ſecundus ſtatus, qui vocatur Status Proficientium, quia animæ in hoc ſtatu conſtitutæ jam vitæ ſpiritualis incunabula ſunt tranſgreſſæ, atque in ætatem diſcretionis excreſcunt, ſeu acquirunt diſcretionem in via ſpirituali, id eſt lumen, & judicium rectum creſcendo exemplo Salvatoris, *Ætate, & ſapientia coram DEO, & hominibus.*

Admittendæ proindè erunt per diem lætiores cogitationes de amabiliſſimis Incarnationis Nativitatis &c. Myſterijs, quod plurimum in effectum deducent teſſeræ aptæ, & proportionatæ, ut aſſignaturus ſum. Non oberit etiam ſæpiùs iterari: *O JESU, tu es Jlluminatio mea, imò & ſalus, quem timebo? Volo te ſequi, volo eſſe mitis, & humilis corde. Volo abnegare meipſum, & ſequi te.* Luc. 9. ℣. 23.

DIES QUARTUS.

Ejuſdem intentionis.

MEDITATIO OCTAVA.

De Incarnatione, & Nativitate Chriſti.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Contemplatio Incarnationis, & Nativitatis Chriſti tenerrimum in animo excitat amoris erga SS. Trinitatem affectum. Conſiderando quippe bonitatis ipſius infinitas divitias, & amoris erga genus humanum magnitudinem rapitur cumprimis in admirationem anima, dum videt diſponere Clementiſſimum DEUM mundum ſceleribus oppletum nihilque agentem, niſi offenſam D E I, & ob hoc miſeriarum in pelago natantem, ac jamjam ad inferna deſcendentem morte Filij ſui redimere, deinde liqueſcit amore, contemplans tantùm ſe amari à DEO, cui tamen nunquam aliquid obſequij rependit pro tantis ejus beneficijs; proponitque firmiter ſe nihil pro ejus amore deinceps neglecturum. Indiget autem hæc contemplatio attentâ imaginatione, & ſollicitâ intellectûs conſideratione circa ea, quæ à SS. Trinitate, & ab hominibus circa Chriſtum peraguntur.

MEDITATIO OCTAVA.

Prima verò Viæ Jlluminativæ.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Repræſenta imaginando SS. Trinitatem in cœlorum ſublimitate, quomodo conſilium ineat de perdito genere humano redimendo, decernitur tandem ſecunda Perſona incarnanda. Mittitur Gabriel ad B. V.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pro loci compoſitione finge te videre univerſam terræ ſuperficiem, hominum diverſas facies, & eorum mores, actiones, & verba, aliaque eorum facta, & opera DEUM irritantia ad perdendum humanum genus.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Pete à D E O lumen, ut agnoſcas DEI erga te miſericordiam, & magnam dignationem mittendo Filium ſuum in carne humana, & ut dignè ipſum ſuſcipere valeas.

PUNCTUM PRIMUM. Conſidera, quàm diverſis illo tempore fuerint homines moribus, quàm vario ſermone, barbari aliqui, alij civiles, impij, & idololatræ prope univerſi. Ipſi adeò Judæi populus electus omnis generis flagitijs obnoxij, Idola venerantes, verumque cultum Divinum abominantes, adeoque mundus hoc beneficio erat prorſus indigniſſimus, nihilominus cœleſtis Pater ex ſua infinita bonitate tot animarum interitum miſeratus, *Cogitavit ſuper nos cogitationes pacis, & non afflictionis,* Jerem. 29. ℣. 11. Cogitavit, & decrevit Unigenitum ſuum mundo Redemptorem dare, undè S. Ioannes admirabundus exclamat: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Ioan. 3. ℣. 26. Vide, an non, & te tunc, cum ejus amore eſſes indigniſſimus, dilexerit? cum ergo ille non Angelum, ſed Filium mundo dederit, tu quidquid es, & potes, ipſi redde: offer perfectam mandatorum, votorum, & propoſitorum obſervationem.

AFFECTUS.

O Immenſa æterni Patris bonitas erga nos miſeros peccatores! quid potuit nobis ultra facere, quod non fecit? quis latitudinem hujus beneficij metietur? quis intellectus comprehendet ejus ſublimitatem? Ecce qui à dextris æterni Patris ſedit, dignatus eſt de cœlo ſe demittere, Angelorum Dominus, formam ſervi accepit, Patriam ſuam dimittens, ut nos exules Patriæ reſtitueret feliciſſimæ. O admirabile commercium!

PUNCTUM SECUNDUM. Conſidera Archangelum Gabrielem, qui fortitudo DEI interpretatur, miſſum eſſe. Diſce in arduis pro honore DEI exequendis fortitudinem, firmamque in auxilium Divinum fiduciam. Adverte ad Virginem, quæ erat immaculata. Solitaria, taciturna, orationi dedita, *gratia plena.* Has virtutes cole, ſi in corde tuo, & cordibus aliorum operâ tuâ Chriſtum gigni deſideras. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: *Ave gratia plena.* Ingreſſus, quâ reverentiâ? quâ modeſtiâ? quâ compoſitione? quam longè minore tu ad DEUM ipſum accedis. Laudat Virginem, reticet ſe Angelum eſſe. Diſce tui laudes non promere, facta non enarrare, geſta commendare, ſed promere aliena. Vocat *gratiâ plenam,* hæc ſola laus coram DEO eſt. Sed quo tu es plenus? vanitate, inordinatis affectibus, rancore, invidiâ &c. *Dominus tecum,* in cogitatione, in deſiderijs, in amore

re

re. Ah felix ſocietas, ſic eſſe cum DEO ſuo, feliciſſima MARIA, quæ ſemper cum DEO erat. Quam rarò tu es cum Deo? conſule cogitationes, deſideria, & affectus tuos, ubi vagentur. Colligè ergò illos omnes ad DEUM.

AFFECTUS.

QUid moraris anima mea reddere te participem gratiæ Divinæ? ut quid cor tuum tantis repletur miſerijs? quid quæris in vanitatibus, nunquid in ijs cor tuum requieſcet? Erras, erras ah infelix! fuge proinde ſæculum, vide iniquitatem illius, & converte te ad DEUM tuum, orationibus inſta, tace, meditare, ſuſcipe verbum ab Angelo tuo, inſpirationes ſcilicet cœleſtes, labora denique, ut gratia DEI in te nunquam vacua ſit, ſed ut ille ſolus tecum habitet: ſi autem is tibi non ſufficit, valde avarus es. S. Bern.

PUNCTUM TERTIUM. Conſidera tertio, quomodo Beata Virgo *turbata fuerit in ſermone*, id eſt, confuſa ad tantas ſui laudes, ad tantam Angeli erga ſe reverentiam, hoc proprium eſt humilium. O quantum diſtas à Virgine! turbaris ad tui vituperia, exultas ad laudes: illa abhorret veras, & meritas, tu quæris immeritas, & falſas. Examina cujuſlibet ſermones, diſcute opera, & quid imitandum ſit, elige. Demùm dat conſenſum dicendo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, & ſic SS. Trinitas admirabile Incarnationis myſterium dat executioni. Incarnatur æternum Verbum, Filius Patris cœleſtis, fit homo in virgineæ Matris utero: *Verè ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Philip 2. ℣. 7. Imitare hic B. Virginis obedientiam, reſignationem, in beneplacitum DEI, ſeu acerba, ſeu dulcia imperantis. DEUS immenſus in anguſto virgunculæ corpore coarctatur. Quis renuat eſſe parvulus in oculis ſuis, cum altiſſimus, ſit DEUS abſconditus? Angelus peractâ legatione redit ad ſuperos, alia juſſa expectaturus: poſt DEI labores, non quære quietem. Virgo Mater fæſtinat per montana, ut Ioannes à labe originis mundetur, tu euntem, & in ea novum Regem, & precibus, & pijs ſuſpirijs proſequere. Divinis inſpirationibus illicò obtempera, relinque contemplationem, cum id ſalus proximi imperârit.

AFFE-

AFFECTUS.

JAm te ô MARIA Mater DEI saluto millies, & congratulor tibi ex intimis cordis mei visceribus, ô Reparatrix salutis totius mundi, quia facta es benedicta inter omnes mulieres, quando Dominus respexit humilitatem tuam, qui potens est, jam facta es Angelis, Deoque proximior ita testatur S. Bern. serm. de Annunciatione: *Hæc est enim Virginis nostræ singularis gloria, & excellens prærogativa, quod Filium suum, eundemq; cum DEO Patre meruit habere communem, O Virgo gratia plena, redde me participem de plenitudine illius, & da, ut mihi fiat semper secundùm verbum Filij tui.*

PUNCTUM QUARTUM. Considera quarto, quomodo B. Virgo etsi partui vicina, ut tamen Romani Cæsaris imperijs obsequatur, asperâ hyemis tempestate in Bethlehem suo cum Josepho proficiscatur, sub vesperum diva puerpera frigore, & pluviâ, suoque Sanctissimo fatigata pondere Bethlemum advenit, sed hospitium, etsi per omnes urbis vicos, & plateas sudulò quærat, minimè invenit, sedet itaque defessa ad lapidem proximum, interim Josephus pro castissimâ conjunge sollicitus, fores complures jam has, jam illas pulsat, & hospitium rogat, *sed non erat ei locus in diversorio.* Ergo laborem omnem frustratus, redit, & ita Virginem affatur: dilecta Sponsa, laborem hic omnem, & operam perdidimus: urbs nobis iterum relinquenda est, & adeundum est, quod foras præterijmus, stabulum, ut, quod negant homines, pecora præbeant. *Verè in propria venit, & sui eum non receperunt.* O saxea Bethlemitarum pectora, imò me potius omni saxo, omni silice duriorem, qui toties cor meum amoribus creaturarum patere feci: IESUM verò DEUM meum exesse volui, ejusque pijs inspirationibus dixi: sta foris mi IESU! ô quam me pudet, en totum tibi illud consigno. Summâ animi æquitate hanc pertulit Virgo cum Josepho injuriam, non murmurat, non conqueritur, redit ad stabulum, genuflectit, componit se ad orationem, ignescit in se, & ecce, *dum medium silentium tenerent omnia, &c.* Sap. 18. ℣. 15. Virgo doloris expers salvo uteri virginalis claustro, peperit summum, & æterni Patris primogenitum. O quis hic explicet illa liquescentis animæ gaudia, humilem tam Deiparæ, quam Josephi adorationem, suavissima oscula, amplexus? tu tua quoque obsequia exhibere ne negligas, quæ obse-

quia? orationem, silentium, laborem, abnegationem tui perfectam, & quæ promittis, stude exequi.

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

QUas tibi, ô Pater amantissime, referam gratias pro tam admirabili charitate, quâ commotus universo mundo in maligno posito dedisti Unigenitum Filium tuum in salutem, & redemptionem. Quid tibi placuit in nobis, ut eum velles nobis assimilari. Et ecce quàm magna in nobis erga te remansit ingratitudo, bonitatem tuam non solùm recognoscendo, verùm etiam toties mansionem in corde nostro tibi volenti perfidè denegando. Confundor nimium mi bone I E S U, veni imposterum, veni, & recipiam te millies in animam meam.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scriptio. Lectio residua.

Tessera. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Isai. 9. ℣. 6. *Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & inclinavit eum in præsepio.* Luc. 2. Vel: *Verbum caro factum est.* Ioan. 1. ℣. 14.

Vidisti Asceta DEUM, & hominem à sua dilectissima Matre reclinatum esse in præsepio, adlabora proindè hodie eidem possibilem reponere affectum. Præscinde tibi aliquid de somni dulcedine, amove superfluitatem tuorum pulvinarium, & per horam unam, aut alteram, indicato tamen hoc pio stratagemate tuo P. Spirituali, durius cuba, & somnum impedi. Vel imitare B. Villannam Ord. S. Dominici, quæ lectulo suo inspersit arenam.

B. Margaretha Regis Bellæ IV. in Hungaria filia extensam pellem pro lecto, & pro cussino lapidem habebat. S. Paula Romana nudam humum. Soror Maria à S. Helena ab ipso die ingressus sui in Ordinem nunquam usa est lectisternijs. P. Ioannes S. Francisci de Paula socius dormiebat flectendo.

DIES QUINTUS.
Dedicatur S. Patri nostro Paulo P. E.
MEDITATIO NONA.
De Circumcisione, Adoratione SS. trium Regum &c.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

MEditatio hæc edocet, ob amorem DEI, & proximi nostros debere cultro mortificationis præscindere affectus, proprioque contravenire ad beneplacitum Superiorum amori nostro, & judicio: neque in tempus longius inspirationes Divinas, bonaque consilia differre, sed imperterritè absque ullo humano respectu ipso exequi opere, ne quod nobis benignè desuper conceditur (uti elucet in Herode, totaquè Hierosolyma) cæteris largiatur. Deindè monet pro gratia fidei, vocationis, ac luminum spiritualium referendas esse DEO gratias, maximè verò à Religiosis reciproca charitatis munuscula esse offerenda, paupertatis videlicet, castitatis, & obedientiæ actus sæpius repetendos, votaque renovanda. Demum suadet in dubijs, & perplexitatibus animi, recurrendum esse ad Patrem luminum, & quod ille divinitus nobis inspiraverit, stantibus etiam quibuscunq; difficultatibus, executioni subitò demandetur. Expetit autem omnium personarum, & actuum sedulam repræsentationem, & formatur modo sequenti.

MEDITATIO NONA.

De Circumcisione, Adoratione, & Præsentatione.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginare compassivam præsentiam B. Virginis in Christi Filij sui Circumcisione, demissam trium Magorum adorationem &c.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Videbis mentis oculis gestus, audies verba, contemplaberis munera &c.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Pete tuorum affectuum perfectam circumcisionem, & in oratione debitam attentionem.

PUNCTUM PRIMUM. Considera dolores primos, quos benignissimus ille Jesulus in circumcisione suâ pro te perpessus sit,

quam circumcisionem vel ipsa Deipara, vel certò, ut plurimi arbitrantur, ipse S. Iosephus peregit: si illa, quam generosi tunc erat animi, velut altera uxor Moysis Sephora: *Quæ tulit acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Exod. 4. ℣. 25. Peregit tamen cum intimo doloris sensu sic DEUM affata: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Exod. 4. ℣. 25. Maluisset ipsa sanguinem suum fundere, nihilominus ex amore nostri, divinique beneplaciti reverentia, generosâ mente executa est. Ita, & tu, etsi teipsum ames, tibi tamen parcere non debes, sed debes teipsum circumcisionis, seu mortificationis cultro perfectè, & plenè amputare. *Circumcisio cordis* (inquit S. Paulus) *in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex DEO est.* Rom. 2. ℣. 29. Sit autem circumcisio perfecta ad omnia, quæ in te inordinata sunt, resecanda. Sit constans, non dierum pauculorum, sed toti vitæ commensurata. Denique hanc circumcisionem spiritus non modo tu ipse adhibe, sed eam quoque ab alijs circa te usurpari libenter patere, à tuis videlicet Superioribus animæque tuæ curatoribus, qui noscunt optimè, quænam in te superflua cultro indigeant.

AFFECTUS.

SAnguis tuus, ô tenelle IESULE, quem hodiè pro me misero homine effudisti, postquam octo consumati fuissent dies à tempore Nativitatis tuæ, excitet mentem meam, erigat in ea generosos stimulos, & conatus, quibus vincam humanos respectus, trucidem amorem proprium, circumcidam inordinatos respectus, quibus hactenus implicatus vixeram, imò eò sese mea perversa inflectat voluntas, ut paratus sim animo placidissimo circumcisionem hanc in singulis suscipere à rectoribus conscientiæ meæ.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera, quomodo tres Reges ex Oriente stellâ duce veniunt Jerosolymam, nulloq; habito respectu Herodis interrogant; *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum.* Matt. 2. ℣. 2. Atque accepto à Scribis, & legis Doctoribus, responso: *In Bethlehem Judæ,* eo se confestim conferunt, ibidemque recens natum infantulum, munerum suorum, & obsequiorum delatione venerantur. Admirare hic mutationem *dexteræ excelsi.* Judæi, gens electa, quibus erat Messias promissus, tanto

tem-

tempore ab ijs desideratus, tam vicini Bethlemitico tuguriolo locum habitationis tribus Magis commonstrant, & ne unicus ex eis, aut Herodis metu, aut ei placendi, & adulandi studio, vel pedem effert à limine ad cœlestem hunc Regem quærendum. Econtra verò tres Magi, gentiles viri, partim stellâ duce, partim Baalami vaticinio exciti, domos, uxores, liberos, & ditiones suas promptè deserunt, & cruda hyeme, iter longum spatio, gelu molestum incæptant, peraguntque intrepidè, de novo Rege in Aulâ Herodis percontantur, licet Herodis ambitio, & crudelitas ijs satis esset perspecta, nec antea quiescunt, quam Rege cunctis gentibus desiderato frui liceat, ità nempè verum est, quod Christus postmodum dixit: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, &c. & recumbent cum Abraham, &c. filij autem ejicientur, &c.* Matth. 8. ℣. 11. Idcirco in servitio Divino tu fervens esto, & tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Apoc. 3. ℣. 11. Sequere magnâ mentis promptitudine stellam fidei, piarum inspirationum, rationis rectæ, spiritualis directionis tuorum Superiorum, non declines neque ad dextram, neque ad sinistram, nulliusque molestiam à carne, à dæmone objiciendam formida. Noli dicere cum pigro: *Leo est in via, leæna in itineribus.* Prov. 26. ℣. 13.

AFFECTUS.

INfidelis es anima mea, si DEO tuo obligatum denegas cultum, si respicis homines, & à pietate tuâ averteris. Vide quâ reverentiâ, quâ submissione tres hi Reges adorant infantem, stellâ solâ indicatum; & tu, quæ fidei lumine illustrata es, angustiaris, & conquereris de diuturnitate officij, tepescis in orationibus, & languescis. Non sic anima mea prolongenda est boni operis intentio, sed quod facis, fac citò, sanctè, & bene. Ubi stimulos amoris senseris propera, agnosce vocem DEI tui. Veni, & adora eum *in spiritu, & veritate.*

PUNCTUM TERTIUM. Ingredere cum tribus Regibus stabulum, Puerumque cum Matre (IESUS enim cum MARIA separari non sustinent) feliciter inveni. Agnosce mundi pompam à DEO conculcari, vivâ fide crede, hunc infantulum esse in sua paupertate ditissimum, in suâ depressione maximum, in infantili gressu, & habitu æterni Patris Verbum. Procide in genua, &

infantem pannis involutum, DEUM inquam tuum, ac Dominum adora, apertisque cordis tui thesauris offert illi charitatis aurum, illius inquam charitatis, quæ omnia opera tua inaurat: siquidem nihil operis tibi aggrediendum, quod non pure in DEUm tendat. Offer præterea parvulo thus orationis, cui ferventer insiste, & mane, & vesperi, omnique loco, & tempore, uti Christus imperat: *Oportet semper orare, & non deficere.* Luc. 18. ℣. 1. Ut inter media negotia, & colloquia hominum cor tuum non minus quam in ipsa meditatione sit DEO conjunctum. Offer denique myrrham mortificationis proprij judicij, voluntatis propriæ, exteriorum sensuum, internorum affectuum. Multi orationem amant, at mortificationem oderunt, qui se falsâ sanctitatis specie deludunt. In quo corde thus, & myrrha permiscentur, in eo fragrant omnium virtutum aromata.

AFFECTUS.

PRobatio dilectionis exhibitio est operis, quæ non tam comprobatur affectu, quam muneribus, ait S. Gregorius. Jam sæpius fassa es anima mea te IESUM tuum diligere, comproba hunc amorem vel tandem aliquo munere. *Curre affectu, non corpore, votis, non pedibus, ut Regem tuum Christum in præsepio invenias: mysticas verò munerum species deferto tecum.* ita S. Laur. Justin. serm. de Epiphania: Quæ alia non velim, quàm tria vota tua, quibus DEO nil charius, & amabilius offerre poteris. Sit autem in eis aurum purum, nempè charitas, sit odor thuris, ædificatio videlicet proximi, sit myrrha, omnium nempe sensuum mortificatio, & fecisti satis.

PUNCTUM QUARTUM. Considera quarto. *Et responso accepto in somnis ne redirent.* Matth. 2. Perplexi hærebant, an eadem, an alia via redirent. Recurrisse ad DEUM crediderim, orasse lumen: DEUS misit Angelum, qui illos docuit; agnosce, & lauda DEI providentiam, & misericordiam, quæ suos regit, & dirigit. Committe te illi maximè in rebus dubijs, & adversis, aderit tibi certò, tantummodo firmiter crede, & accede. *Et ecce Angelus apparuit eis,* prohibet, ne redirent ad Herodem. Prompti sunt, etsi via suggeratur fortè longior, molestior, ignota: nec pensi habent promisisse reditum Herodi, dum DEUS aliud jubet. Disce posthabendum respectum, & motiva humana, cura, quid DEUS, vel Superior jubet. Eundum est, quâ te Superiores, & Re-

Regulæ ducunt. Reflecte in priora, ordina futura. Hinc *reversi sunt in Regionem suam per viam aliam* Ivisti hactenus *vias difficiles*, viam iniquitatis, erroris, & vanitatis, in quibus sæpius *offendisti in lapidem pedes tuos*, quibus *lucerna erat verbum Divinum*. Relinque has, redi per aliam viam, per viam mandatorum Divinorum, imò curre cum Davide: *Redibis in regionem tuam, & Patriam æternæ videlicet gloriæ.*

AFFECTUS, CUM COLLOQUIO.

ALiâ viâ mihi ambulandum est, quam hactenus iverim. Fateor mi bone D E U S, me ambulasse vias difficiles vitiorum, & peccatorum. Monitus quidem sæpius à te, ne redirem ad Herodem, ad pristinum meum affectùm videlicet, & amorem proprium, homicidam animæ meæ, & persecutorem gloriæ tuæ. Ibo imposterum, quo tu volueris. Rogo proinde te mi bone IESU, per sanguinem illum pretiosum pro me effusum, abscinde in me, quidquid oculos tuos offendit, quidquid proximum scandalizat. Da mihi mortificationem corporis, & animæ, & resecata à me erunt omnia mundi oblectamenta, vani amoris prætextus, solamina creaturarum.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Ex Thom. Kemp. lib. 2. cap. 7. & 8. Ex Direct. spirit. part. 1. §. 1. fol. 57. Ex Paulo Barrij differt de commodis vitæ occultæ fol. 273.

Tessera. *Oleum effusum nomen tuum.* Vel: *Vivat JESUS, & quotquot illum diligunt.*

D E V O T I O.

TEnerior est semper filiorum in parentes amor, quàm in reliquos sanguine junctos: ita, licet quotquot in cœlis cum D E O regnant Sancti, amici DEI facti sint, & ideo honorati, quorum & principatus pro nobis intercedendo nimis confortatus est, nihilominus devotionem tuam Asceta hodiernâ die præ reliquis Sanctis Patri tuo S. Paulo primo Eremitæ oblaturus es, obtinebit ille tibi à DEO per hoc spirituale desertum, prosperum, ac felix iter, eoque te per spiritualium gaudiorum vias deducet ut tibi imposterum *Oppida, & Urbes*, cum D. Hieron. *Sint carcer, solitudo verò, & eremus Paradisus.*

Revereri proinde hunc poteris orando de eo Officium, Litani-

tanias, Hymnum, aſpirationes, aut 15. Pater, & Ave: magnum tibi Aſceta hæc devotio adferet emolumentum. Experta eſt patrocinium D. Patris mæſta illa mater, quæ cum filio ſuo Budam ad SS. properavit reliquias, quia verò hic cauſa infirmitatis ubera averſatus expiravit, ubi conſilium matronæ devotæ ſecuta, 15. orationes Dominicas, totidemque ſalutationes Angelicas recitaſſet plena fiduciâ in D E U M, & merita S. Pauli, ſubitò puer mamillas matris quæritans, vitam cum ſanitate recepit.

Anno 1487. In Diœceſi Agrienſi in villa Rarad, puer octennis lubricans ruptâ glacie in profundum deſcendit, mortuus D. Patri commendatus ad vitam redijt. Alius puer novennis pellificis Varadienſis filius nomine Ioannes in flumen Peſce inopinatè cecidit, ab aquis abreptus in littore à parentibus exanimis repertus eſt. Iam tumulandus erat, voto tamen facto ad S. Paulum à patre eâ nocte penes cadaver vigilante ſub tertia lectione Matutini Ioannes ſpectantibus cunctis redivivus ſurrexit.

Anno Domini 1467. Budæ in pervigilio D. Bartholomæi, Ioannis Keſzy confratris noſtri filia de altis gradibus in præceps acta, fractis cervicibus protinus expiravit: mater doloribus plena memor tamen magnorum meritorum S. Patris, cui eam devoverat reſupinam inſtar funeris jacentem poſt tres horas quaſi à gravi ſopore liberatam oſculis læta recepit.

Anno Salutis 1409. In die S. Urbani Budæ in domo, ubi reliquiæ S. Patris ob bellorum diſturbia quieverant, puer unius anni Arcularij filius in labrum aquâ plenum prolapſus eſt, à parentibus extractus, patrocinio S. Confeſſoris dedicatus, ſubito ſpiritum vitæ recepit.

Anno 1455. In villa Kertuœlyes Diœceſis Quinque-Eccleſienſis puer quinquennis extinctus eſt, voto verò à parentibus concepto ad S. Patrem, vitæ eſt reſtitutus. Puella alia ſeptennis morbo correpta, ac tandem mortua itidem à parentibus ſuffragijs S. Patris, ac interceſſioni oblata vitam cum gratia recipere meruit.

Plura ſunt extra mortuorum reſuſcitationem admiratu æquè digna, uti eſt repentina viſus reſtitutio in cæcis, facta matronæ relicti Petri de Kekes in Barania 1470. Civi cuidam de Segedino arte Cerdoni 1485. Relicto Petro de Teyes 1470. Fortui-

ta pe-

ta pedum rectificatio in claudis impetrata cuidam nomine Petro 1467. Georgio Presbytero de Pechvarad anno eodem, Mulieri nobili de Varadino Anno 1470 Loquellæ restitutio mutis facta Ioanni Capellano propè Varadinum 1464. Facultas audiendi præstita surdis, puero videlicet à nativitate tali 1470. Ladislao de villa Karas anno eodem, qui etiam pulsatâ circa aures campanâ sonum non audierat, voto tamen ad Divum Paulum emisso in via Capellam versus, eo naturæ vitio liberatus est. Denique vinculorum solutio facta captivis, uti Valentino de Leperd Simigiensi, ejus Filio Petro 1470. Michaeli de Zentlelek à Bohemis incarcerato anno eodem. Binis matronis nobilibus captis à Turcâ 1471. Nobili cuidam è Croatia oriundo per Blasium Magyar vinculis detento anno eodem. *Ex Annalibus nostris.*

DIES QUINTUS.

Ejusdem intentionis.

MEDITATIO DECIMA.

De Præsentatione, & fuga in Ægyptum.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

SEquens contemplatio erudit animam ad sui abnegationem, & ad perfectam resignationem voluntatis suæ voluntati Divinæ, præbetque exemplum imitandæ humilitatis, ubi exponit Virginem pauperum mulierum instar munus obtulisse, mirâque devotione se, & filium suum DEO consecrâsse. Jlluminat quoque mentem ostendens, quid homo adversitatibus circumventus exemplo Christi sui agere debeat, ubi ostendit, SS. Christi Parentes, dum in Ægyptum pelluntur æquanimiter cuncta tolerare, non contra DEUM murmurare, non causare difficultatem itineris, quòd de nocte, in hyeme, ad terram ignotam, gentem barbaram ire debeant. Hinc fidelis anima docetur lætè exilium, bonorum

despoliationem, locorum permutationem, persecutionesq; ad mortem sustinere. Indiget autem hæc contemplatio affectu admirativo Divini consilij,& compassivo tribulationis Christi. Formaturque hoc ordine.

MEDITATIO DECIMA.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Revolve animo, quantâ devotione S. Virgo ex Bethlehem accepto filio Jerosolymam profecta sit, legem Moysis impletura.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pro loci compositione, propone tibi templum illud Salomonis amplum, & spatiosum, in eoque populi frequentiam.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Roga pro lumine intelligendi omnia mysteria.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primò, quanta B. Virgo per 40. dies in stabulo degens, quamque materna erga parvulum exhibuerit officia, quantoque animi solatio,ac gustu perfusa sit, ut rerum mundanarum omnium prorsus oblita, 40. dies pro uno duxerit. Tantæ sunt in solitudine deliciæ, tanta in DEI consortio suavitas: & tu noxijs inquietorum hominum peccatorum familiaritatibus abriperis. His peractis pergit in Jerusalem, & pro filio suo offert par columbarum, munus pauperculis statutum, ut Sacerdos pro sui emundatione precaretur. O Virgo amantissima, nonnè tu es totius mundi advocata? nonnè tu es *tota pulchra, & macula non est in te.* Cant. 4. ℣. 7. pura opere, sermone, cogitatione, purificationis legi minimè subjecta *Ut quid ergo Sacerdotum prece, quid purificatione tibi est opus? Verè, ô Beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero peccatorum.* S. Bern. serm. 3. de Purificatione. Erubesce mi Christiane, qui magnus, & bonus &c. haberi vis apud homines, cum tamen defectibus scateas, ac sordibus peccatorum. Elue tempestivè, dum peccâsti.

AFFECTUS.

QUid quæro gloriam qui dignus sum ignominiâ? quid laudum encomia qui promeritus sum vituperia? bonus videri volo, qui scateo peccatis, conqueror de sinistris circa personam meam aliorum opinionibus, quem tamen conscientia reum proclamat

mat: grave accidit pro immundo haberi, cum tamen ipse Christus, ejusque dilecta Mater legem Circumcisionis, & Purificationis quasi huic subjecti peragere non verebantur. O superbiam inauditam meam, quam mille execror maledictis, nunquam illa subibit mentem meam.

PUNCTUM SECUNDUM. Attende, & ausculta quo pacto se filius Patri cœlesti obtulerit. Supreme, & æterne DEUS respice in faciem Unigeniti Filij tui hic modo in ara præsentis, quem ab æterno genuisti. *Ecce rapinam arbitratus non sum, me esse æqualem tibi, sed homo factus sum* ex puro amore in genus humanum, me totum tibi offero. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, holocaustum pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.* Psal. 39. ℣. 7. Offer, & tu reciproco in IESUM amore corpus, animam eidem consecres, & quemcunque laborem, paupertatem, contemptum, desolationes, morbosque de ejus manu accipias, dicasque cum Regio Psalte: *Paratum cor meum DEUS &c.* Psal. 56. ℣. 8. Contemplare, quam festinus properet ad templum senex Simeon, quo affectu in genua coram Matre supplicabundus procumbat, quomodo in ulnas è maternis amplexibus IESUM excipiat. O quali gaudio perfusus, quàm suaves certatim fluxêre per seniles genas lachrymæ, quàm humili osculo pedes, & manus passionis excepit, quibus oculis aspexit, & respectus est, ut desideraret vitam, & mundum deserere, mortem pro solatio habere dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine &c.* vide utrum suscepto IESU in Sacramento paratus fueris mori: si non, erubesce. Interim ex tot mulierum millibus unica Anna eligitur, quæ S. Spiritu inspirante Christum agnoscat, meruit hoc eximiâ vitæ suæ integritate. *Erat vidua, & quæ nunquam discedebat de templo jejunijs, & obsecrationibus serviens nocte, ac die.* Perpende, quoties in templum ivisti sine consolatione spirituali, absque cognitione IESU, quare? quia coactè, quia ex consuetudine, quia sine præparatione, quia ex respectu humano. Muta consuetudinem, & agnosces DEUM.

AFFECTUS.

QUoties, ô bone IESU, ô quoties sacra frequentavi templa nunquam tamen te, aut rarò cognovi, quæ causa fuit cæcitatis meæ, quod te intueri non potuerim manens in tenebris ani-

mæ meæ, qui *Sol Justitiæ* appellaris. Certè non fuit alia, quàm quòd non amore tui, sed cum disgustu, nauseâ, consuetudine, vel ob respectum humanum domum orationis ingressus fuerim. Faciamnè hoc imposterum? Absit, vereor enim, ne mihi eveniat, quod illis vendentibus contigit, horrenda nempe reprehensio tua: *Domus mea, domus orationis est, tu autem fecisti eam speluncam latronum.*

PUNCTUM TERTIUM. Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde. Matth. 2. ℣. 16. Ideoq; communicato cum suis consilio decernit Regem in ipsis cunis extinguere, & ne elaberetur, à bimatu, & infra omnes infantes occidit. Ad quod immane scelus ambitio, & inordinata affectio Herodem impellit. Præclarè D. Ambros. *Magnam faciunt tempestatem multitudines cupiditatum, quæ veluti in freto corporis navigantem hinc, atque inde perturbant.* in Apolog. David. Quis pravos animi affectus non domet, si tanta ex illis scelera enascuntur? accedit, quòd & ipsi Proceres, legisque periti impio Regi ad hanc necem cooperati sint ipso Evangelistâ testante: *Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* Balthasar Rex vasa templi aurea inter epulas sacrilegâ manu, & ore profanavit, & ecce omnes *Regni Principes biberunt in eis Rex, & optimates ejus.* Dan. 3. ℣. 3. Nabuchodonosor, ut populum sibi subjectum ad adorationis statuam induceret, *congregavit Satrapas, Magistratus, Duces, & Præfectos.* Dan. 3. ℣. 2. non ignarus, horum exempla ad seducendum populum esse potentissima. Vide proinde, quisquis cum potestate præes alijs, ut dignam ducas tuo muneri vitam, id est, irrepræhensibilem. Nihil perniciosius est Præsidum delictis, quæ delinquentem, & subditos pari ruinâ involvunt.

AFFECTUS.

Scio quidem, ut ipse ajebas Salvator mi *necesse esse, ut fiant scandala, væ autem homini, per quem, melius etenim esset, ut ei mola asinaria suspenderetur ad collum, & demergeretur in profundum maris.* Certè malum grande est anima mea ponere ruinam proximi, inducere eum in malum, imò justum persequi. Quoties noluisti, ut alius esset Rex tuus, quam inordinata passio tua. Occumbendum erat Christo, & Sanctis ejus. Lapis non erat, quem non movisti, ut cupiditati tuæ satisfaceres, quibus & populum commovisti, & ali-

alios errare, tuisquè obsecundare intentis persuasisti. Hoc malum posthac non audiatur à te.

PUNCTUM QUARTUM. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usquedum dicam tibi.* Matth. 2. ℣. 3. Mandatum hoc prima, aut secunda nocte Josepho datum est à reditu in Nazareth. Mandato accepto *consurgens accepit puerum, & Matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.* Matth. 2. ℣. 14. Nec verbulo sese excusat, sed festinat ad cubiculum sponsæ, vel lectulum, & dilectam castè suaviterque dormientem, vel piè vigilantem reperit, & verba Angeli enarrat, surgit illa confestim, & media nocte excitat è somno parvulum intempestivo tempore, lachrymulis lachrymas adjungit memor verborum Simeonis: nihilominus se itineri accingit dicens: *Ecce ancilla Domini.* Sed, ô tenella Mater, annorum nempe 15. eritnè par ætas vijs his incommodis, sunt enim inter Ægyptum, & Nazareth centum leucæ, & istud sub mediam noctem inire paras, differ in crastinum, *nox inimica est hominis,* quid hac de fuga dicent populares noti tui, qui te salutârunt, hos insalutatos relinquis, quis erit desertæ domunculæ custos, uti, & suppellectilis. Cogita, quo pergis, ad homines barbaros: si tuo filio in propria venienti non erat receptio, quid tibi accidet ab extraneis? Si ille habuit pro diversorio stabulum, prolectò præsepe inter notos, quid habitura es inter Idololatras? Refellit hæc omnia pia Mater: *Ecce ancilla, fiat mihi secundùm verbum tuum,* Ergo tam promptè Mater, Christus, & Josephus parent Angelo, & tu Superioribus subditus parere cum omni subjectione recusas. Cælum querelis reples ob itineris incommoditatem, aeris injuriam, minus opulentam provisionem, seu viaticum, denique ob unam ex cænobio in aliud, uti & Patriam, seu Provinciam, mutationem turbaris. Emenda, obedi, & ambula. In Ægypto summa in paupertate duxerunt vitam se, & IESUM amabilem sustentando. Portabat is, ut ex D. Bonavent. quidam loquitur fabricata scabella, scamna, aliaque à S. Iosepho elaborata, ita, & lota linea à B. Virgine. Disce longanimitatem, paupertatem, & patientiam. Tandem septem annis effluxis adest Angelus, jubet reduci puerum, *Surge, accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Israel.* Matth. 2. ℣. 21. Sis

ita indifferens in tuis missionibus, & non fingas te non posse, quod non vis, neque prodesse, quod amas.

A F F E C T U S.

ECce video immensis te ærumnarum immersum fluctibus. Fugis mundi Dominus ante faciem peccatoris, toleras persecutionem, simulas te peccatorem cum dilectâ Matre tuâ. Vivis miser, & humilis, promptè exequeris mandata Patris tui etiam in somno per Angelum insinuata, deseris patriam, amicos, & notos, pergis, & redis ad omnem nutum divinum. Ah rogo te bone IESU! doce me fugere delicias mundi, perferre persecutionem, amare paupertatem, mandatis tuis obedire, secundum voluntatem Superiorum meorum vivere. Non fiant labia mea ad excusandum, non sonet vox non valeo, non possum venire, sed illico obediam voci tuæ. Nunc pudet me ita vixisse.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scriptio. Lectio residua.

Asceta. Inter reliquas DEUM precandi pias consuetudines est hæc, denudare genua, ijsque innixum orare. Dabat hanc instructionem suis B. Victoria dicens: Charissimæ filiolæ, si verè corporis mortificationem diligitis, peragite preces vestras sæpius nudis genibus. Devota Regina Scotiæ die pridiè, quam Martyrium subijsset, flexo, apertoque poplite passionem Christi cum intima cordis compassione pervoluit. Fac secundum exemplar, & ora. Psal. *In te Domine speravi &c.*

EXAMEN CIRCA MANSUETUDINEM.

PRimò. Submisse loqui, & humiliter, & sine strepitu.

Secundò. Non uti verbis austeris, pervicacibus, imperiosis, aut quæ contemptum aliorum redoleant.

Tertiò. Non contradicere alijs, neque cum ullo contestari.

Quartò. Nullum contristare sive verbo, sive gestu, sive ope recusatâ quantumvis vilis, & abjectus videatur.

Quintò. De nullo queri, etsi injuriâ nos affecisset, quæ si est, fiat id verbis blandioribus, quæ excusent, & elevent refutanda illam.

Sextò. Si quispiam nos læsit, non expectemus, donec ille culpam agnoscat, ejusque veniam à nobis postulet, sed ipsi illum

præ-

præveniamus, & deprecemur, quòd indignandi occasionem dederimus.

Septimò. Non reprehendere, aut increpare alios sine gravi causa.

Octavò. Aliorum defectus, & infirmitates benignè tolerare, neque admodùm curare, quòd nostri defectus alijs sint noti.

Nonò. Nullo indicio demonstrare antipathias quasdam, seu aversiones à nonnullis, sive illæ à natura inditæ sint, sive usu comparatæ.

Decimò. Nunquàm exhibere se fastidiosum, seu vultu, seu gestu, seu aliâ quadam ratione.

Undecimò. Facilè concedere in sententiam, & opinionem aliorum, rejecto proprio judicio.

Duodecimò. Nunquàm in pejorem partem verba aliorum interpretari.

Decimò tertiò Quodam commiserationis affectu ferri in afflictos, eorumq; miserias, & calamitates sentire.

Decimò quartò. In copia negotiorum, & occupationum, tranquillitatem, & hilaritatem animi præseferre, vultu sereno, & composito.

CONSIDERATIO.

CUi bono cætera, nisi per exercitium, & acquisitionem virtutum fiamus veri DEI ministri? præcipuum, hoc est, cui attendi debet, aliqua tantùm accessoria sunt. Dositheus in suo Monasterio patrabat admiranda, in conversatione sua erat amabilis, in ægrorum obsequio obstupescendus: at hinc aliqua gloriæ, & vanitatis titillatio illum invasit, quam advertens S. Dorotheus, hoc dicto, quod pluribus convenire potest, illum perstrinxit: Dosithee, insignem aliorum famulum te præstas, & egregium complacentem, sed nondum DEI servus effectus es.

In tua situm est potestate, ut maximas, præstantissimasq; virtutes consequaris, gratia Divina nobis non deest, sed nos desumus gratiæ. Vult DEUS nos ad sublimem perfectionis gradum evehere, nos non aliam, quàm mediocrem virtutem volumus. Quis Aulicus dignitates, & favores sibi à Rege oblatos recusat? at molestia in virtutis acquisitione reperitur: quis ignorat? sed neque hoc ignoratur: rosam esse spinis septam, & in concha unio-

nionem. Hâc molestiâ cœlum emitur, an pretio nimio, & pœnitendo?

Non advertunt homines, & nihilominus verum est, acquisitionem unius virtutis, aut exercitium unius actûs virtuosi, majoris pretij esse, plurisq; æstimandum, quàm si celebrem aliquam de hostibus victoriam reportâsses, aut acquisivisses centum millia aureorum annui census, aut Regni alicujus Sceptrum, & diadema obtinuisses. Virtus Christiana bonum DEI est, cujus intuitu, quantumvis exigua sit, omnibus tamen totius naturæ donis ante stat, ut omittamus mercedem, quæ erit sempiterna.

Quàm me olim pœnitebit, quando videbo me propterea non esse assecutum eum gradum virtutum, & meritorum, quem DEUS mihi destinaverat: quod nimium rei alicui creatæ adhæserim, aut quòd repudiaverim Divinam gratiam, eique non omni modo fuerim obsecutus. Ah! quàm caro mihi stabunt eæ commoditates, & deliciæ, quibus nunc, cùm gravissimæ virtutum negotiationi studere oporteret, indulgeo, utinam solo Purgatorij pretio, & gloriæ imminutione luam! O virtus! quisquis perspectum haberet valorem, & meritum tuum, illi res omnes terrenæ viles, & suo affectu indignæ viderentur: & ut nullo alio, ad illam amandam stimulo compellerer, quàm quòd IESUS, & MARIA eandem tanto amore prosecuti, complexique sint, volo amare, & credere, nihil esse amabilius eo objecto, quod ambo illi sapientissimi rebus omnibus prætulerunt. Tantis ducibus aberrare non possum.

Vah rerum terrenarum amores! dum gustantur, dissipiunt. Vivat virtus, illa, illa est aqua Samaritanæ proposita, quamqui biberit, sitiet iterum, quæ ipso sui usu appetitionem accendit.

Aqua est saliens in vitam æternam. O Domine da mihi hanc aquam.

DIES

DIES SEXTUS.

Dedicatur SS. Auguſtino, Antonio, Thomæ de Aquino, & Ignatio.

MEDITATIO UNDECIMA.

De vitâ ſolitaria, & vocatione Apoſtolorum.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Contemplatio ſubſequens docet primò hominem ſe-ipſum humiliare, ſubdereque alieno imperio, ubi oſtendit Chriſtum univerſorum Dominum ſubditum fuiſſe parentibus, DEUM hominibus. Secundò documentum præbet, quâ præparatione ad divina accedere homo debet, ubi Chriſtum oſtendit parentibus valedixiſſe, deinde baptiſmum Joannis ſuſcepiſſe. Tertiò exhibet normam Divina ſuſcipiendi, & poſt Divina ſe gerendi, ubi docet Chriſtum ſe Joanni humiliâſſe, ad deſertum properâſſe, ibique jejunijs, & orationibus vacâſſe. Ex quo docemur, poſt ſumpta Divina nos intrare ad ſolitudinem cordis, non verò poſt hæc in nugas, & vanas ſollicitudines diffundi. Progrediendum autem eſt hac in meditatione hoc ordine.

MEDITATIO UNDECIMA.

De vitâ ſolitariâ Chriſti ad annum trigeſimum.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Percurre hiſtoriam, quomodo Chriſtus Dominus ad templum cum parentibus ſuis iverit, inter Doctores ſederit, quomodo obediverit.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pro loci compoſitione imaginare tibi domunculam in Nazareth, ubi Chriſtus in ſummâ paupertate vitam cum Matre, & Nutritio ſuo perduxit.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Petes gratiam verè DEUM in omnibus ſubſequentibus imitandi virtutum exemplis.

PUNCTUM PRIMUM. Conſidera primò, *conſumatis diebus ut redirent, remanſit puer;* noluerunt antea reverti in domum ſuam, antequam ſolemnitas azimorum, quæ ſeptem diebus durabat, undiquè explereretur, ita ad apicem voluerunt ſervare legem. Non mutila DEI ſacrificium aut recedendo, aut fucata præte-

xendo negotia absentiæ. *Remansit puer*, quoties se à te absentat IESUS, dum templo egrediens Sæcularibus te immisces curis, aut nugis, vel amicorum solatijs. In templo invenitur IESUS, si perdidisti, quære suspirijs, lachrymis, & quidem instanter. Perditur inter cognatos, amicos, inter affectus sanguinis, non colligunt hi affectum in DEUM, sed dissipant. Inter Doctores, seu Magistros spirituales, ac exemplares Religiosos movendo quæstiones pias, ac sacra dubia, reperitur. Disce non fidere tuæ scientiæ sed interrogare, & audire eum, qui spiritum dirigit. Suadet hoc Sapiens: *Audi fili mi disciplinam Patris tui, ut addatur gratia capiti tuo.* Proverb. 1.

AFFECTUS.

BEnè dixit pius ille Scriptor Thomas Kempensis, quoties inter homines fui, minor homo redij. Ausim & ego dicere, quoties inter homines fui sæpius, in corde meo IESUM perdidi. Causant hoc damnum vana solatiola, personarum amicitiæ, & familiaritates, remanet proinde IESUS, si his te immergis. Alibi religiosæ animæ quærendus DEUS non est, quam in assiduitate frequentis orationis, meditationis, & recollectionis. Erravi te hactenus alibi quærens, O Bone IESU, & ideò non inveni.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera secundò, inventus in templo, dato modesto responso dum Mater diceret: *Fili, quid fecisti nobis sic*, non enim poterat affectus amoris, ait Sim. Cassi. amplius cohiberi. *Quid? non erat increpatio*, ait Carthus. *sed pia, & amorosa quæstio. Et descendit cum eis*, disce descendere ad sensum D. Anton serm. infra Octav. Epiph. *O rigida superbia, quæ super altitudinem nubium moliris ascendere, descende obsecro, quia Jesulus descendit, & erat subditus illis.* Quantâ humilitate, obedientiâ, & alacritate, siquidem in hac pauperculâ domo non erat servus, neque famulus, hinc ipse DEUS abjectissimis fungitur officijs, everrit domum, colligit fragmenta, comportat ligna, & ut habeant undè per diem vivant, in fabricando nutritium juvat, quod postea ei convicij loco improperatum est: *Nonnè hic est faber, filius Mariæ?* Marc. 6. ℣. 3. Quid cogitârunt Angeli, cum cernerent in asseribus dolandis, & lignis secandis laboriose occupatum eum, qui alias verbo cœlum, & terram fundavit, dum

vide-

viderent labores paratos suismet humeris Dominis suis deferentem, à quibus, ut gregarius quispiam opifex tractatus est. Haud dubiè exclamarunt: *Verè tu es DEUS absconditus.* Is. 45. ℣. 15. Quàm exactè obedivit immensus DEUS, erat subditus, cui? pauperi fabro, in servilibus laboribus cum fervore, & gaudio cordis sui, ut tu disceres obedientiam, subjicere te Superioribus, te minus intelligentibus quandoque. *Deniq; erubesce superbe cinis,* ait S. Bernard. homil. 1. de Missis, *DEUS se humiliat, & tu te exaltas, si homines ô homo imitari dedignaris, exemplum certè non erit tibi indignum sequi Authorem tuum.*

A F F E C T U S.

INdecens est anima mea nomen habere, & non omen. Vide humilitatem DEI tui, & obstupesce cum Angelis ejus submissionem, paupertatem, promptam obedientiam. *Erat enim subditus illis,* DEUS homini. Proh pudor! nomen volebat habere Christus, quod fabri sit filius, facto demonstrare voluit, ut tu exemplum sumeres, si Religiosus es nihil non debere operari, quod similem decet. Vita tua est humilis obedientia, quid ergo superbis? quid reluctaris? Vita tua pauper est, quid ergo quæris commoda? Vita tua casta est? quid ergo vano amore abriperis? Verius dicere poteris, quod S. Antonius viso D. nostro Paulo dixit: *Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen porto.* Correspondebit ab hac die vita cum Regula.

PUNCTUM TERTIUM. Christus 30. annis sibi privatus vixit, & solùm tres erudiendis hominibus impendit, ut tu illius exemplo doctus, proximi quidem salutem, tuam magis cures. Sapientia Christi, & Sanctitas, quæ jam tum in primâ conceptione summa, augeri in se, & crescere non poterat, crevisse tamen, & auctior facta esse dicitur, quia utriusque tam virtutis, quàm sapientiæ majora in dies documenta dabat. Tu autem homo es imperfectus, & in utroque genere augmenti capax, ideoquè uti in horas singulas ætate, sic crescere te par esset imprimis in sapientiâ, non eâ, quæ mundi, sed quæ DEI est. Disce nosse teipsum, disce, quæ fides proponit, quæ ratio statûs, & officij tui à te postulat, quàm pulcher, quam justus sit DEUS, ut ipse per Prophetam hortatur: *In hoc glorietur, qui gloriatur. Scire, & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam*

in terra, hæc enim placet mihi, ait Dominus. Jerem. 9. ℣. 23. Hic tu investiga, quo pacto hucusque in meditationibus, in exercitijs spiritualibus, in assidua collectione animi tui, & præsentiæ Divinæ memoriâ excreveris, quæ ad proficiendum in cœlesti sapientiâ efficacissima sunt media. Deindè progrediendum tibi ulterius est, non in unâ sapientiâ, sed in virtute omni, in gratia, in observatione omnium mandatorum DEI, in laudabili, atque exemplari conversatione cum hominibus. Cogita multum tibi adhuc laboris, & conatus deesse, priusquam adimpleas illud Christi: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5. ℣. 48. Forsan à primo fervore spiritus defecisti, & more cancrorum cessisti retro, muta vitam, & revertere.

AFFECTUS.

EA jam est hominum Anima mea fragilitas, & simul malitia, malle docere, quam doceri, cum tamen pleni simus defectibus. Laus nostra, ut audiatur ex ore hominum, unicum est desiderium nostrum, eò collimant omnes nostræ intentiones, illuc se dirigunt studia nostra, hæc merces laborum, non alia expectatur. Ast! error est grandis, deceptio magna! nam componendus est in nobis animus, exercendum ingenium, proficiendum in virtute, disponendi sunt sensus, refrænanda libertas, verbo: *Modestia nostra nota sit omnibus hominibus, luceatq; lux nostra bonorum operum coram ijs, ut glorificent Patrem, qui in cœlis est.*

PUNCTUM QUARTUM. Considera primam hujus diuturnæ solitudinis causam, 30. annos omninò insumpsit Christus, computandis, expendendisque ijs, quæ sibi aliquando passionis suæ, & prædicationis tempore eventura prævidebat. Docet te, nihil ex subito animi impetu inchoandum, sed consideratè, & maturè præmeditanda esse omnia. Expectat Christus in trigesimum annum officio prædicandi magis idoneum, expectat usque præcursor veniat, qui venturum annunciat: *melius est enim alieno, quam proprio testimonio clarescere.* In mortem peccatoris baptizari vult, quoniam omnis actionis bonæ fundamentum est humilitas. Adit eremum, & 40. dies jejunando, orando, & vigilando traducit, *quia omne bonum de sursum est descendens à Patre luminum.* Joan. 2. ℣. 16. & è cœlo petenda sunt omnis boni auspicia. Redit subindè ad Matrem suam: privatus agit ad 30. ætatis annum, & tunc 6.

Ja-

Januarij *fecit initium signorum JESUS in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam.* Joan. 2. ℣. 11. *Quousq; dissimulas,* interrogat S. Bern. *quasi infimus aliquis, vel insipiens lates in populo, qui virtus es, & sapientia DEI?* serm. 1. de Epiph. Tentatur à diabolo in Eremo. Deindè convocat Apostolos, homines rudes, piscatores, simplices, indoctos. *infima deniq; mundi elegit, ut confundat fortia.* Hinc doceris neminem despicere, non spernere inferiorem, quem fortè DEUS ad majorem, quam te, gratiam destinavit. Circuit vicos, & plateas, docet, instruit, sanat, miracula patrat, transfiguratur in monte, prohibet *nemini* dicant visam gloriam: tu tua decantas imperfectissima opera. Tandem gloriosus intrat Hierosolymam, flet, indicans inconstantiam hominum, & mundi, quapropter his nunquam animus concredendus est.

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

JAm video, ô bone I E S U, salutem animarum nostrarum dependere à solitudine non solùm mentis, sed & corporis. Si tu, qui *via, vita, & veritas es,* te in desertum recondis, quasi præmeditans, quid tibi in futurum agendum foret, quæ non major me feret sollicitudo. Quapropter, ut proximorum sim ædificationi, educationi, & instructioni, necesse erit adhibere variarum virtutum exercitia, frequentanda erit oratio ardentior, mens elevanda, mortificandi sensus, virtutes solidæ sectandæ, amplectenda humilitas, quæ mater, & fundamentum omnium virtutum est, ut loquitur S. August. *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, id est Religiosæ, & Christianæ perfectionis in te, aut proximo tuo, de fundamento prius cogita humilitatis.* O mi humillime I E S U, largire mihi per omnia merita tua, per indefessos labores tuos gratiam proximum meum ædificandi, verbo, & exemplo instruendi, ac ubique locorum gloriam tuam promovendi.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Lectio ex Thom. Kemp. lib. 1. cap. 20. & lib. 3. c. 11. & 14. Ex Directorio part. 2. cap. 1. fol. 213. maximè pro profitendis. Ex Regula cap. 4. de Oratione. Ex Hagiophila dissert. de mansuetudine, fol. 305.

Tessera. *Et erat subditus illis.* Vel: *Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud DEUM, & apud homines.* Vel: *Sequar te quocunq; ieris.*

DEVOTIO.

Non mirare Asceta, cur post cultum D. Patris nostri tibi persuadere velim devotionem erga S. Patrem Ecclesiæ Doctorem Augustinum, quomodo non in hujus ferri deberes Religiosum obsequium, quippe tuo Ordini tam salubrem præscripsit Regulam, ad quam te perfectissimè observandam jurejurando obstrinxisti. Reverere hunc Litan. Hym. Offic. maximè verò persolve cum Sancto hoc Hymnum ab ipso, & S. Ambros. concinnatum, dum *Te DEUM laudamus* Nocturnis Matutinis recitas, rehabebit se erga te, ut filium devotum, gratus magnus in precamine suo apud DEUM Pater.

Huic subjunxi S. Antonium visitantem D. nostrum Fundatorem, est hic vir non solùm magni nominis, sed & magnæ sanctitatis, ad cujus invocationem nominis sæpè sæpiùs nefandi spiritus de obsessis personis abiêre. Mihi plurimùm ejus placet in S. Patrem nostrum charitas, quâ tam ardenter flagrabat, ut etiam paratus fuerit mori potiùs, quàm eum non videre, non salutare, non deosculari. Neque major vitæ illius extitit relator, quàm hic Sanctus. Cole eum, quâ poteris, devotione, si tibi modum præscribere audeo, honora eum jejunio, neque ante occasum solis, ut ipse solebat, comede, salvâ tamen discretione, aut habitâ de tuorum Superiorum, ac Magistrorum spiritualium licentiâ.

Tertium sibi locum vendicat à me assignatum S. Thomas Aquinas, cui ego, meusque Ordo ob primam insinuationem, & commendationem S. Sedi Apostolicæ factam obligatus maneo. Necesse proinde duxi Sanctum hunc in specialiori religiositate, ac devotione habendum, ntpotè qui B. Eusebium nostrum tunc primum cœnobiarcham Ordinis nostri, & perhumaniter Romæ excepit, & feliciter in negotijs Ordinis promovendis adjuvit. Est hic in Patronum nostrum à nobis electus, & coletur à te, si in ejus honorem sæpius visitaveris SS. Altaris Sacramentum recitando Hymnos ab ipso compositos, aut Litanias de eodem, vel verò orationem pro perfectione consequenda ab ipso factam, quæ habetur in fine explanationis Regulæ nostræ. Demum locum accepit inter quatuor Patronos tuorum SS. exercit. S. Ignatius, quem Fundatorem, & Inventorem per singula-

rem

rem sibi inditam gratiam horum exercitiorum esse, nemo est, qui dubitet, per quæ quam fructuosum multarum animarum lucrum Ecclesia Catholica, & diversæ Religiones acceperint, & hodiedum accipiant, & accepturæ sint, ineffabile est. Loquuntur hoc non solùm adhuc in terris degentes piæ animæ, verùm etiam Sancti in cœlis testantur, quod post Sacramenta Ecclesiæ (ut præmisi in monitis generalibus) aliud pro Salute æternâ consequendâ remedium melius non sit, quàm hæc octiduana, vel decemdialis spiritûs exercitatio. Ora in honorem hujus, ut & tu tam uberem fructum assequaris, devotâ mente Hymn. *Anima Christi &c. Suscipe Domine universam meam libertatem &c.* Aut alias quascunque preces cultui Sancti hujus congruas.

DIES SEXTUS.

Ejusdem intentionis.

MEDITATIO DUODECIMA.

De duobus Ducibus.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Meditatio hæc edocet hominem claris argumentis, ut diabolo, ejusque operibus, & suasionibus abrenunciet, sanctamq; Christi amplectatur militiam, quæ etsi modicam secum adferat mortificationis molestiam, nihilominus demonstrat momentaneum hoc, ac leve tribulationis æternum gloriæ pondus in nobis operari. Secundò exhibet, quàm insano appetitu amatores sæculi in suæ animæ perditionem præcipites ruant, modicâ honoris, carnis, aut pecuniæ particulâ decepti. Imò ostendit, & in hoc sæculo honoribus, divitijs, & voluptatibus magnas subesse ignominias, sollicitudines, & miserias. Quapropter erigendus est animus Religioso homini ad strenuè pugnandum pro cœlesti gloria. Ordinatur autem formâ sequenti.

ME-

MEDITATIO DUODECIMA.

De duobus Ducibus.

Oratio ut supra, fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginabitur asceta quomodo Lucifer implacabili odio in homines ardens mittat suos ministros per totum terrarum orbem imperans eis, ut homines, quibuscunque possunt laqueis, & deceptionis modis retrahant ab amore, & imitatione Christi, pertrahant verò ad amorem sæculi primò, deinde ad infernum.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Pro compositione loci imaginabitur campum latum, & spatiosum circa Babylonem, & in eo Cathedram igneam, & fumantem, ex eoque Luciferum formâ teterrimum suos adhortantem, ut homines omnes ad luxuriam, ad avaritiam, ad cædes, odia feralia concitent, agitent passionibus cunctis. E contra verò imaginabitur Christum prope Jerusalem in campo similiter in Cathedra lucida, formâ venustum, & amabilem, suosque discipulos hortantem, ut mundum universum ad amorem DEI accendant, ad contemptum divitiarum, & fugam voluptatum inducant.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Petes gratiam à DEO, ut affectu quàm maximo Christo Duci adhærere valeamus, ipsumquè imitari.

PUNCTUM PRIMUM. Considera primò, à quo Lucifer cum Asseclis suis in profundum inferni sub æterna caligine cruciandus de cœlo detrusus est, ab ipso momento, non solùm odio inexplicabili in DEUM fertur, verùm etiam inextinguibili siti diabolicæ invidiæ in homines ducitur, utpote quos licet peccâsse fecerit, quia tamen adhuc capaces sunt cœlestis gloriæ, hinc omne studium adhibet ad illos deperdendos: ita loquitur Ecclesia:

Nam quod corruerit proditor Angelus
Concessis merito pulsus honoribus
Ardens invidiâ, pellere nititur
Quos cælo DEUS advocat.

Bene proindè dixit Job: *Militiam esse vitam hominis super terram.* Job. 7. Quia licet propria fragilitas, fomesq; carnis plurima homini adferant mala, licet *intus sint timores, foris pugnæ, aliaq; lex in mem-*

in membris nostris repugnans legi mentis, licet caro concupiscat adversus spiritum, nihilominus ita hic tartareus hostis suam potentiam armat, hostilitatem instruit, ut videatur quasi solum nobis cum illo bellum esset gerendum, quod D. Paulus Ephes. 6. hisce descripsit verbis: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus &c.* Contra nequissimos nempe, & vaferrimos tyrannos, qui sibi principatum in mundum arrogant, ut supra hominem, imò ipsum DEUM, si possibile foret, dominari possent. Assumenda sunt itaque cuivis homini arma. Nomen dandum est militiæ præcipuè DEO inservientibus, ita monet Ecclesiast. *Fili accedens ad servitutem DEI, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

A F F E C T U S.

INduamur ergo Anima mea arma lucis. Abijciamus opera tenebrarum, in quibus hactenus viximus, animoq;pusilli nos vinctos hosti tradidimus. Præliemur prælium Christianum, ut posthac in omni die honestè, & sanctè ambulemus.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera secundò, quomodo hic stygius hostis thronum sibi erexerit fumosum, & igneum versus Babylonem. Inspice faciem ejus quàm fœda sit, ut vix ab homine intueri possit, ita illum multi Sancti cum formidine aspexerunt, uti S. Antonius, S. Pachomius, S. Macarius, & noster Georgius de Ethee hujus nominis Generalis primus, Ordinis 13. tempore tyrocinij sui. A Jobo describitur in forma sequenti cap. 41. *Quis revelabit faciem indumenti ejus? Portas vultûs ejus quis aperiet? Per gyrum dentium ejus formido, corpus illius quasi scuta fusilia compactum squammis se prementibus, sternutatio ejus splendor ignis &c. De ore ejus lampades procedunt, de naribus ejus fumus sicut ollæ succensæ. Halitus ejus ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur. Jam inspice ejus furorem.* Nemini parcit, nullum præterit, quisquis ille est etiamsi Sanctissimus, exemplum vidisti die hesternâ, ubi maledictus hic Spiritus D E I Filium suis tentamentis aggredi non est veritus. Audi tandem ardentem ejus ad socios suos exhortationem. Ausculta quibus verbis eos ad seriam animarum perditionem provocet. Meministis, inquit, Sodales optimi credo naturæ vestræ, quibus olim elevati super omnem creaturam in splendore ortûs

vestri elevati estis. Quo ergo animo fertis, ut principatûs vestri, gloria, & majestas ab ignavis terræ filijs occupetur, itane risui æterno nos exposuit unicus Nazarenus homuncio. Ite igitur, & sapientiâ vestrâ incautum genus illaqueare satagite, aurum, & argentum proponite, carnis suadete delicias, promittite honores, ut his illecti pœnas nobiscum luant æternas, decipite, transformate vos in Angelos lucis, verbo, dicite bonum malum, & malum bonum.

AFFECTUS.

JLlumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte peccati, ne quando dicat inimicus meus prævalui adversus eum: Doce me, ô bone IESU, agnoscere subtilem ejus pugnandi vafritiem. Jnstrue me ad resistendum illi, ne blandimentis ejus seductus victima fiam æterni rogi.

PUNCTUM TERTIUM. Considera tertiò, è diametro benignissimum IESUM humili in loco, in campo amœno juxta Jerosolymam, amabilem, affabilem, quomodo vexillum S. Crucis erigat. Suadet hic ut nequaquam diligamus mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, siquidem saluti nostræ pernitiosissima, quoniam omne quod in mundo est concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Attende quàm amabili vultu suos animet discipulos dicendo: Jte in universum mundum filioli dilecti mei, prædicate Evangelium universæ creaturæ, dicite: quòd *qui volunt divites fieri incident in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Qui volunt,* inquit S. August. *cupiditates accusavit non facultates, avaritia enim est velle esse divitem, non autem esse divitem.* Annunciate singulis paupertatem spiritûs, quàm si quis non dilexerit, non poterit esse meus discipulus, ubi verò quis omnibus abrenunciaverit, quæ possidet, omnino futurus est; imò consecuturus regnum cœlorum, quia *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est &c.* Persuadete cordis munditiem, quid enim desiderabilius carere carnis molestijs, cogitare *quæ DEI sunt, quomodo placeat DEO.* Verè *beati mundo corde quoniam ipsi DEUM videbunt.* Denique invitate mortales ad humilitatem, dicite, ut à me discant, *quia mitis sum, & humilis corde,* exosa enim mihi est superbia, quia his resisto, *humilibus autem do gratiam.* Demùm pensate, quæ mala ex his

tri-

tribus mundi cupedijs generantur, nil aliud certo, quàm fraus, perjurium, ira, rancor, invidia, odium, ambitio, pertinacitas, inquietudo mentis, injustitia, tristitia, aviditas, infamia, mors denique, ac certa animæ damnatio.

A F F E C T U S.

AGnosco, O DEUS meus illum, quem mihi dedisti Regem, esse filium tuum unicè dilectum, omni honore, & reverentiâ colendum, imò omni studio, & imitatione prosequendum. O quantas ergo debeo tibi gratias, quòd me à vexillis illius, & signis abeuntem, iterum sub ejus protectionem reduxeris. Imposterùm non divellar.

PUNCTUM QUARTUM. Considera quartò, quid statuendum tibi sit, possibile enim non est sub duobus militare vexillis, aut duobus servire Ducibus, sequitur enim necessario te *unum odio habere, alterum verò diligere*, ita innuit præter August. S. Greg. in 4. Psal. pœnit. *Unusquisq; hominum, aut Jerusalem, aut Babylonis est Civis. Sicut namq; per amorem DEI Sanctus quisq; Jerusalem Civis efficitur, ità per amorem sæculi omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur.* Si ergo vis, & intendis servire Christo: *Milita*, inquit S. Chrysost *bonam militiam, est enim & militia mala.* Jurejurando sunt tibi ejus præcepta. Mandat hic, ut *abneges teipsum, tollas crucem tuam, & sequaris Illum.* Et qui *non odit Patrem, Matrem, Fratres, Sorores &c. adhuc autem & animam suam non potest esse meus discipulus.* Et ultra *qui cunq; reliquerit Patrem, Matrem &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Item: *Qui vicerit*, id est, diabolum, mundum, carnem, passiones suas, seipsum *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici &c.* Apoc. 3. Alibi: *Si quis mihi ministrat me sequatur, & ubi ego sum, ibi & minister meus erit.* Joan. 12. Terreni Reges servos suos propter obsequia sibi exhibita donant dominio ditionis alicujus, aut pretiosi muneris, regiâ sibi potestate reservatâ, Christus verò omnibus largitur regnum cœlorum. Perpende proinde, si vanum est servire homini, quàm pernitiosum erit animæ tuæ, famulari diabolo, ejusque Asseclis, & statue sub hoc vexillo Crucis millies mori, quàm Christo rebellare.

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

ABsit Anima mea, ut ego toties ingratus à castris D E I mei transfuga, denuò ad illius maledicti tyranni, hostis animarum

capitalissimi partes transeam. Quomodo possibile foret, ut huic superbo spiritui servire possem? Pereat ille cum vanissimis opum, & honorum suorum incitamentis, leviculisque voluptatum blandimentis: mihi præ omnibus his delicijs unicum crucis vexillum, Christi sanguine purpuratum longè amabilius erit. O Domine adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus. Fac ut sentiam, quod promisisti crucee tuâ oneratis: *Ego reficiam vos*, ut nunquam deficiam.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scriptio. Lectio residua.

Asceta. Hesterna die memini me tibi præscripsisse, & contulisse devotiones B. Victoriæ, Reginæ Scotiæ &c. hodiè vellem te esse strenuum æmulatorem Sancti Apostoli Bártholomæi, mos hujus sancti Viri erat de die genuflexiones sæpius iterare, repetebat has centies in die, P. Antonius Criminalis è Societate IESU quadragesies, S. Martha trecenties. Tu tantum numerum divide, & antequam lectum ingressus fueris, repetitis vicibus hunc versiculum persolve: *Jugum tuum suave est, O Bone JESU, & onus tuum leve* Matth. 11. Da ut illud constanter deportem.

EXAMEN CIRCA SIMPLICITATEM, ET CANDOREM ANIMI.

SImplicitas, alio nomine sinceritas, & candor, est virtus parùm hominibus cognita, & paucioribus in usu admirabilis, tamen, & DEO acceptissima, cujus est proprium inclinare, & efficaciter permovere hominem, ut suis verbis, & operibus nullam duplicitatem, simulationem, dolum, aut malitiam admisceat, verùm sit purus, sincerus, verus, & exteriora omnia interioribus consentiant. Unde patet multùm virtutem hanc discrepare ab ea simplicitate, quæ vulgò est ignorantia quædam, & stoliditas nonnullis à natura insita. Hæc, de quâ nunc agimus virtus ex præcipuis non postrema est. Si scire desideras, hujusnè virtutis aliquid, an nihil habeas, notas hasce inspice.

Prima. Nihil aliud sibi in actionibus suis habere propositum, quàm ut DEO placeamus; alia enim motiva quæ possent concurrere, facerent, ut actio non simplex, sed duplex foret.

Se-

Secunda. Recta in DEUM tendere, non reflectendo ad respectus humanos, & quid alij dicturi, aut cogitaturi sint.

Tertia. Non uti restrictione mentali, ut aliter dicas, aliter cogites.

Quarta. Abominari quidquid mendacium redolet.

Quinta. Exteriora interioribus conformare, præterquam in commotionibus passionum, cum non sit contra simplicitatem, eas ita premere, ut non emicent.

Sexta. Sibi, & DEO attendere, non immiscendo nos ijs, quæ ad alios spectant.

Septima. Non malè suspicari, aut judicare de alijs, nisi indicia sint manifesta; benè de omnibus opinando.

Octava. In conversatione, directè loqui, & respondere, non uti verbis ambigui sensûs, aut alium ab aliorum consortio abstrahere, aut sermonem mutare ad accessum alterius.

CONSIDERATIO.

AUt IESUM falli necesse est, aut mundum. Quærit hic honores, divitias, voluptates, & obsequi propriæ voluntati: IESUS complectitur, & suadet contraria, contemptum, paupertatem, sensuum mortificationem, & abnegationem suipsius: decerne anima mea, uter sapientior sit, & in ejus sententiam concede. Et memineris non esse aurum, quidquid splendet.

Insignis dementiæ est inire vias devias, regium & tritum iter tenendum est, quale est virtutis, D E I Filius, & Sancti omnes hac iêre. Desipiat, qui volet, volo ego tenere istud iter, quod sapientissimi triverunt.

Amare I E S U M, ars est certissima benè, beatèque vivendi, nihil in hoc amore perditur. Hic Divinus amans minima etiam, & occultissima suspiria compensat. O insanas creaturas, quæ ad alium quàm ad IESUM suspiratis! quæ, & unde merces tot suspiriorum! Nihil beare te potest in hâc mortalitate, nisi amor Verbi Incarnati. Tempus quod abripit omnia, quodque tam celeri cursu præter labitur, non permittit, ut occurrat aliquod objectuum amabile, cui affectus nostros applicemus. Vix applicuissemus, & jam de recessu cogitare oporteret. Solus Amor IESU solidam habet, atque integram felicitatem, nam ab hac vita pergit ad alteram, ut ibi æternum continuetur.

Bona hujus vitæ non delectant nos, nisi dum ea prosequimur; imaginabamur incredibilem fore nobis voluptatem, si eorum compotes fieremus; ijsdem quibus antea cupiditatibus perturbamur, & alia sequi objecta incipimus: quod si ijs studijs lædatur quoque conscientia, jam magis decepti sumus, qui spinas repererimus, ubi rosæ quærebantur. Solus amor IESU, & in persecutione, & consecutione amabilis est. Solus ille sine spinis est, totus ille coronatus est rosis.

Quo tandem devenerunt omnes illi Amatores creaturarum, virorum, mulierum, parentum, honorum, opum, ædificiorum? Quid profuit omnem ijs amorem affixisse? Jacturam temporis fecerunt, accumularunt tœdia, & tormenta, quæ illicito Amori deesse non possunt, & ex his gradum fecerunt ad alterius vitæ tormenta, quæ modum, & finem non habent. O qui sciret IESUM serio complecti amore! absque hoc Amore, tristis, & horribilis infernus est: cum illo dulcis, & desiderabilis Paradisus!

DIES SEPTIMUS.

Dedicatur SS. Altaris Sacramento.

MEDITATIO DECIMATERTIA.

De Cœna Domini, & Agonia.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Postquam in priori exercitio elegimus sub Duce Christo militari, accurato studio attendendum, quid ipse nos facere doceat, ipsius siquidem vox est: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Quapropter in hac, & subsequentibus meditationibus excitanda erit attentio nostra, quatenus diligenter advertat, quid DEUS verbo, & exemplo facere doceat. Suscitandus quoque erit animus ad solidas quasque virtutes ex imitatione Christi. Exempli gratia ad dilectionem inimici, quia dilexit Judam, ad summam humilitatem, quia suis discipulis lavit

pedes, ad tolerandas injurias, & calumnias &c. quia has pertulit æquanimiter. Affectus pro singulis Meditationibus erunt: Compassio, amor, quia tanta pro nobis pertulit, detestatio peccatorum, propter quæ tantos sustinuit cruciatus. Porrò pius meditans ita se gerat in hac consideratione Passionis, quasi omnes tumultus, irrisiones, calumnias &c. præsens & videret, & audiret.

MEDITATIO DECIMATERTIA.

De cœna Domini, & Agonia in horto.

Oratio ut supra. fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Repræsenta animo Salvatorem se ad pedes discipulorum abjicientem.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Imaginare cœnam paratam, institutionem Eucharistiæ, modestiam personarum

PRÆLUDIUM TERTIUM. Pete gratiam hoc singulare Divini Amoris in te, & universum mundum salutis remedium agnoscendi.

PUNCTUM PRIMUM. Considera summum Salvatoris desiderium, quo jam pridem anhelabat, hoc Pascha pro signo amoris perpetui post se nobis relinquendi, manducare. *Desiderio,* ajebat, *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum,* simulque excellentiam hujus Sacramenti, quæ tanta est, ut pure dicatur quod in eo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sint reconditi, cum Christo homine, ac DEO omne bonum, quasi in compendio, tam creatum, quàm increatum continetur. Verè *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Ut rectè Paulus dicat: *Quomodo non cum illo nobis omnia donavit? Avare,* inquit S. August. *quid aliud cupias? quid tibi sufficit, si DEUS non sufficit.* Eminet deindè immensa DEI potentia, cujus stupendum opus Ecclesia his versibus celebrat: *Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie &c.* Denique incomprehensibilis DEI bonitas, & amor erga hominem in hoc elucet, nam sicut Pater Cœlestis in hoc nobis commendat charitatem suam, quando sic *dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret,* ita & Christus, quando se in ultima cœna dedit, dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Joan. 22. Et *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Joan. 6. Potuitnè

Di-

Divina bonitas ad hunc amoris excessum pertingere, ut ad viles homunciones cum suæ Divinitatis communicatione sese transfunderet. *O honorem Christiani! ô amorem DEI! digni effecti misteriis Divinis, concorporei, & consanguinei Chrysti facti estis.* Cyrillus.

A F F E C T U S.

O Anima mea, *quis pastor unquam carne suâ oves suas nutrivit? multæ imò matres post partum aliis nutricibus filios alendos suos tradunt, quod Christus facere noluit, sed proprio nos pascit corpore, ac secum conglutinat.* O si te Domine possem omni amore possibili redamare, qui me sic usque in finem dilexisti.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera, quomodo humilitate suâ Christus edocuit, quâ puritate hoc sacramentum sumendum sit, dum DEUS, & homo sese ad pedes discipulorum suorum prosternit, eosque manu suâ lavat, & linteo abstergit. Quis exponet profundissimam demissionem? quâ se ad pedes proditoris sui abjecit? quem tantus amor, tanta submissio non flecteret, ad quam Petrus attonitus exclamabat: *Domine, tu mihi lavas pedes?* O ferreum pectus Judæ, & meum, si his non tangar, humilier etiam ad pedes inimicorum meorum, & *benefaciam iis, qui oderunt me.* Expende Judæ ne, an Christo hactenus similior fueris? toties DEUM tradidisti ad mortem, quoties diabolus tibi in cor misit, ut admissis sceleribus, propter quæ DEUS mortuus est, Christum perderes. Mox surgit è mensa, & ut Evangelista notat, accepto Sacramento *intravit in eum diabolus.* O horrendum sacrilegium ex quo omne malum Christiano, maximè verò Religioso procedit, dum ore polluto ad sacram accedit Synaxim, nam loquitur sacer textus, & continuò *exivit, & vendidit eum,* 30. argenteis dicens: *Quid vultis mihi dare,* quasi diceret. Date mihi, quod libuerit, ego eum tradam, nam tam vilis est, quem ego vendo, ut dignus non sit, pro quo aliquid petam, quàm quod vobis libuerit. Tu Juda centies pejor, & insipientior. Tunc vendis, tunc osculo tradis, dum mundi amicitiam, hominis amorem, aut tesseram profanæ inclinationis, DEI amicitiæ præfers. Ita agit perversa conscientia, & obturata. *Vocat amicum, ut amicum faciat, vide misericordiam inenarrabilem,* ait Euthimius, *siquidem donec traditus est, fuit illi cura de proditore.*

AFFECTUS.

O Inauditum spectaculum, & nunquam visum ! *obstupescite cæli, & terra*, ecce Dominus dominorum ipse DEUS Verbum Incarnatum abjectus jacet ad pedes proditoris sui. O demissionem incredibilem Salvatoris mei! Sordidos abluit servorum suorum pedes, non abstrahit discipulorum vilitas, non ingratitudo Judæ. O mi Salvator, tuo incitatus exemplo nunquam ingrato existam erga te Animo, nullus amor, nulla amicitia erit, quæ me à te separabit.

PUNCTUM TERTIUM. Finitâ cœnâ, gratias agit pro refectione. Optima apud Christianos, maximè verò apud Religiosos consuetudo, cave ne peragas distractâ mente, in eaq; omnia verba benè pondera. Acceptis deindè discipulis tribus, quos testes habuit suæ transfigurationis, venit ad montem Oliveti, & *avulsus ab illis, quasi ad jactum lapidis* cadit in genua, & incipit, *tædere, pavere, & mæstus esse*, denique dicere : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, hinc copiosum per totum corpus sudat sanguinem, hujus autem acerbæ luctæ causa fuit tormentorum, ignominiarum, dolorum, mortisque crudelissimæ clara, distinctaque singillatim facta repræsentatio per imaginationem, maximè verò mortis, cujus horror crescebat ex infinitate Christi vitæ propter unionem cum natura Divina.

AFFECTUS.

INtuitus sum profundam tui humilitatem, ô bone IESU, & hæsi attonitus, sed quid nunc oculis objicitur meis? Video etenim te lamentabili in agoniâ luctantem pro peccatis meis, quando ego reus etiamnum consector mundi oblectamenta. Ah quomodo te contemplari possum mæstum, tristem usque ad mortem, ac manantem sanguinem per totum corpus propter scelera mea, & non intimo doloris sensu tecum perstringi. Doleo, ô mi IESU, detestor, & aversor omne id, quod te in tantam animæ tristitiam, angustiasque intolerabiles coniecit. Moriar ante, quam sic Filium DEI rursus affligam.

PUNCTUM QUARTUM. Perpende quomodo Christus ab omnibus desertus sustinuit, *qui simul contristaretur, & non erat, qui consolaretur, & non invenit*. Psal. 68. Ideoq; prostratus in terram, *sequestrata*, ut loquitur S. Ambr. *omni Divinitatis æternæ delectatione, tædio*

nostræ infirmitatis affectus: rogavit Patrem, Pater si possibile est transeat à me calix iste, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et licet hic non exaudiretur, perstitit tamen iteratis sæpius precibus, obtinuitque postremo solatium, & confortationem ad omnia fortiter sustinenda, ut dicere possit, quòd à discipulo dictum est: *Quis me separabit à charitate, tribulatio, an angustia? &c.* Hinc plura ad nostram instructionem documenta capimus, quod in tentatione, & afflictione quavis, ad DEUM, & orationis ulterioris præsidia confugiendum sit, nec desperandum, etiamsi homines, DEUSq; nos videantur deseruisse, & terra esse ferrea, cœlum æneum. Sta perseveranter, *fidelis est enim DEUS*, 1. Cor. 10. *qui non patietur nos tentari supra quod possumus, sed faciet cum tentatione proventum.* Tandem dicit: *Surgite, eamus, ecce appropinquat, qui me tradet, & accedens ad eum dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum* Matth. 16. *Ausus præcipuum dilectionis signum, organum efficere diaboli,* ait S. Ambros. in cap. 32. Luc. Si vidisses hæc? quid in verbis, quid in gestibus reprehendisses? & tamen quantum malum. Non sufficit, ut exhibeas externa solùm signa boni Christiani, ac Religiosi, fucus est, intus autem latet venenum. Emenda: *Tunc accesserunt; & manus injecerunt in JESUM, irruunt* in agnum lupi rapaces, trudunt, vellunt, verberant, conculcant &c. funibus ligant. Tu funes texuisti; catenas fabricasti, hinc quæritur; *funes peccatorum circumplexi sunt me* Psalm. 118. Horti, & loca deliciarum plerumque ad crimen opportuna sunt.

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

PRecaris cœlestem Patrem tuum aggravescente cordis tui inexplicabili dolore, rogans, si possibile foret, ut transeat calix passionis, te prosternendo pronum in terram, iteratis quidem vicibus. Accipe, ô Anima mea in IESU tuo vivum exemplum, quid tibi agendum sit, dum tentatione desolationis à DEO, & hominibus affligeris Insta ardentius precibus, flagita auxilium desuper, resigna voluntatem tuam in Divinam, vigila denique, & ora, ne intres in tentationem. Non sit in te falsa, aut simulata DEI amicitia, si fateris te discipulum IESU, imitare exemplum. Interim, ô bone IESU fac, per vincula, quibus, pro me arctissimè constrictus, per vias, & compita tractus es, ut à vinculis peccatorum meorum expeditus tibi imposterum libere

fer-

serviam, nec unquam me in servitutem diaboli immergam.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Lectio ex Thom. Kemp. lib. 2. cap. 1. 2. 3. & 4. Ex Directorio cap. 15. de Communione fol. 183. Ex Hagiophila Dissert. de lingua, fol. 273. Ex Explanat. Reg. c. 17.

D E V O T I O.

QUidquid in te virium est Asceta, Venerabili tribue Sacramento, in hoc etenim absconditus DEUS ultimum posuit amoris sui erga nos homines argumentum, promittens se nobiscum mansurum usq; ad consumationem sæculi, sub speciebus scilicet panis, & vini. Est hæc SS. Eucharistia remedium efficacissimum ad extirpandas in cordibus nostris scelerum maculas, nam sceleratissimos quosq; aliquot diebus post sui sumptionem à peccatis cohibet. Varijs verò veneratur pietatibus, ut visitatione reiterata. Thomas Sankez S. J. salutabat illud de die quinquies, die verò Jovis octies. B. Franciscus à puero IESU, nunquam transibat Ecclesiam, quin non in ea velatum adoraret Iesulum. P. Iacobo Salesio vix hora elapsa est. Alij adorant, alij fixis in templo intuentur oculis, deosculantur manus Sacerdotum, aut certas persolvunt preces, quemadmodum B. Joanna 12. decurrebat Pater, & Ave ad honorem, 12. fructuum hujus Venerabilis SS. Persolve tu Litan. Officium, aut annexum Rosariolum, quod forma sequenti oratur. Pro Credo ora hanc prosam. *Ave verum corpus natum de Maria Virgine, Verè passum immolatum in cruce pro homine. Cujus latus perforatum fluxit unda, sanguine. Esto nobis prægustatum mortis in examine.* Ad globulos majores orationem: *DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili &c.* Ad minores: *Laudetur SS. Altaris Sacramentum.*

Tessera. *Panem cæli dedit eis.* Psalm. 77. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Psalm. 110. Vel: *Amice ad quid venisti? Osculo filium hominis tradis?*

DIES SEPTIMUS.

Ejusdem intentionis.

MEDITATIO DECIMAQUARTA.

De gestis apud Caipham, & Annam.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

MEditatio hæc præbet exemplum solidissimas virtutes acquirendi, easque exercendi. Primò præbet normam patientiæ, ubi Christum ostendit falsis accusatoribus nihil indignabundè respondisse, sed neque maxillam cedenti durum dedisse verbum. Secundò docet hominem non debere de suis virtutibus præsumere, ubi exhibet Petrum ad vocem ancillæ territum, Magistrum suum denegasse, licet in Cœna fidentius cæteris locutus fuerit, plus de se præsumendo, quam de reliquis, dicendo : *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor.* Tertiò docetur fidelis anima exemplo sui Salvatoris probra, & irrisiones æquanimiter tolerare: multum enim levaminis adfert, ajunt SS. PP. inter contumelias, & calumnias ad Christum opprobria patientem oculos dirigere, Formatur autem sequentibus punctis.

MEDITATIO DECIMAQUARTA.

De gestis apud Caipham, & Annam.

Oratio Præparatoria ut supra. fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Inspice IESUM funibus ligatum quomodo raptetur hinc inde ex horto per compita, & plateas ad Annam. ab illo ad Caipham, tandem ad Pilatum.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Fiat imaginaria loci compositio harum domorum, in quibus illuditur.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Exoptandus est copiosus imber lachrymarum, ad deflenda peccata, ob quæ Christus sic patitur.

PUNCTUM PRIMUM. Considera, quomodo benignissimus IESUS, ad quem tanquam ad latronem cum gladijs, & fustibus exierunt, derelictus à suis discipulis, etiam Petro, raptus sit per fluvium Cedron, ductusque ad Caipham, & Annam, ad summa tribunalia, & quidem specialia, ubi doctrina ejus (res delicata)

in

in suspicionem adducitur. O quàm judicium hoc iniquè, & inconsultè peractum est. Omnis insolentia, iniquitas pro arbitrio ministrorum in non convictum permittitur, ut discamus & nos innocentes multa pati. Hic innocentissimus mortalium dedit *percutientibus se maxillam, saturatus est opprobrijs, factus est homo non audiens, quando os peccatoris super illum apertum est, & dixerunt: improperat nobis peccata legis, & Filium DEI se nominat.* De suis interrogatur discipulis, quia nec prodere volebat timidos, nec tueri desertores, tacet, ut noverimus honori proximorum parcendum, qui vitia, aut nolunt, aut non possunt corrigere. Ad falsa quæque testimonia, ludibria, & opprobria silet, ubi tamen de doctrina sua, & si *Filius DEI esset*, quæsitus, respondet *palam docui*, sum, quia pro veritate, & honore DEI non est dissimulanda professio, etiamsi iniquissima quæq; perpendenda fuerint.

AFFECTUS.

JAm video, ô Bone IESU, universum in te conspirâsse populum. Malefactor diceris, qui ab æterno benefecisti, seductor populi nominaris, cui leges vitæ præscripsisti æternæ. Potator vini vocitaris, qui inædia, & jejunijs corpus tuum afflixisti. Dæmonium habere inculparis, qui Flius DEI es. Ut quid ergo tanta in me se ostentat iracundia, dum falso percutior testimonio,

PUNCTUM SECUNDUM. Ducitur ad Caipham, in via ô quot tunsiones, verbera, quot calumnias perfert, sistitur Pontifici, declaratur *seductor populi*. Magus, Sagus, *Potator vini*, disce patientiam à Christo, si de tuis actis accuseris, etiamsi verisimilibus, cùm ipse nihil mali fecerit. Interim Petrus non solùm passibus corporis recedit, ac Christum deserit, sed futura petra fidei, Princeps Apostolorum, dilectissimus Christo, qui ad omnia secreta adhibitus, negat eum tertio nosse, & cum juramento talem Magistrum suum. Attende in Petro magnam hominis imbecillitatem, hic ad vocem non dicam militum, aut Judicum, sed muliercularum, & servi vilis, nec semel, sed tertio, non simpliciter, sed cum execrationibus denegat. Quàm discors est hæc negatio 3. cum una Christi professione. Hinc nemo, vel in sua sanctitate, aut justitia, aut constantia nimium fidat, sed DEO soli, ejusq; misericordiæ innixus consistat. Expende etiam, quâ occasione, & quibus gradibus defecerit. Primò, monitus à Chri-

sto ut oret, & vigilet, neglexit. Secundò, à longè sequitur. Tertiò, pravam societatem, Christum exprobantem accedit, illique se immiscet, ac sic Christi discipulum se profiteri erubuit, postea DEUM ipsum detestatus, verissimum est, *qui spernit modica, paulatim decidet.* Adverte quid possit in viro Religioso, & Apostolico tepiditas amoris erga DEUM, oblivio principiorum spiritualium ex remissione orationis orta, deniq; timor immoderatus dedecoris, & confusionis, aut malorum impendentium.

A F F E C T U S.

O Verè beata D. Augustini sententia, qui considerans imbecillitatem humani generis ita loquitur: *Quid aliud sumus, nisi homines mortales, fragiles, lutea vasa portantes.* serm 10. de verb. Dom. Quis firmior erat Petro in discipulorum, imò & ipsius cohortis militaris numero, paratus is erat mori, ast ubi vidit IESUM raptari per tribunalia, deduci ab Anna ad Caipham, colaphis cædi, culpatus à Iudæis, ab ancilla quod & ille esset unus è numero discipulorum Christi, negavit jurejurando. Ita se habent, & tua promissa, firma sunt, sed tamdiu, quamdiu minima ancilla, id est, libertatis tuæ conversatio abest, si se insinuat, jam denegatur Christus. Esto ergo paratus imposterum mori, quam illum ad vocem hominis denegare.

PUNCTUM TERTIUM. Meditare, quantas calamitates per totam noctem humilis IESUS sustineat, tunc *expuerunt in faciem ejus, & colapsis eum ceciderunt,* testatur S. Matthæus c. 26. Gravissimum contumeliæ genus est, faciem alicujus conspuere. *Respice Pater, & Domine cælestis in faciem Christi tui, in quam desiderant Angeli, ac Beatorum animæ æternum prospicere.* Discam te imitari bone IESU, si quis in faciem meam conjecerit calumniam. Satis me hæc vincit ratio, siquidem tu exemplo præivisti. *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit.* Luc. 22. Sapientiam habent pro stultitia. Quomodo tu similia opprobria perferres. Cogita autem quis tu, & quis D E U S. Videri se à DEO non putant, qui *scrutatur corda, & renes.* Coram hominibus velamen nequitiæ facilè præponi potest, ast DEUS videt omnia, differt, ut vel tandem resipiscere studeamus, quod nisi fecerimus, palam dicet, tu me percusisti, cum hâc persona, hoc peccato, illo in loco, isto tem-

po-

pore? Et *alia blasphemantes dicebant in eum.* Quidquid injuriarum excogitari poterat à petulantissima turba, volente Principibus placere, vino æstuante, dæmone instigante, nullius honorati viri præsentiâ coercita prolatum est. Nihilominus non defendit se IESUS, nihil reponit. Ita te imposterum resignatum habe, etiamsi alienâ linguâ, factoque percussus fueris.

AFFECTUS.

CÆcitas magna est, ô Anima mea, cæcum arbitrari illum, qui mundi lux dicitur. Nonnè DEUM quidpiam latere potest? minimè, scrutatur enim is renes, & corda. Homo quidem ea videt, quæ parent! DEUS autem intuetur cor. Cur ergo tot vela fucatorum operum appingis faciei tuæ? quid extrinsecis te innocentiæ Christianæ dealbas coloribus? quasi vero hæc tua figmenta non liquidò DEO constarent, veniet tempus, si sapere nunc non volueris, & revelabuntur omnia opera tua. Abjicito ergo Anima fucos tuos, & candidam ducito vitam.

PUNCTUM QUARTUM. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt ad Pilatum. Luc. 23. Perpende hic, quod major fuerit Judæorum vigilia, & studium, ut Christum opprobrijs, plagis, & illusionibus perderent, quàm Apostolorum in horto, & captivitate, ut eum servarent. Ita horæ magis confabulationibus, & potationibus faciliùs impenduntur, quàm pijs exercitijs, & S. Vigilijs, nimium ad scelera multi vigilant, ad virtutem, & pietatem pauci. Cogita quomodo degradatus per tribunalia Ecclesiastica, & reus mortis proclamatus, quasi ipso judicio indignus, ad sæculare relegetur. Hæc est compensatio benefactorum illius, *qui pertransiit sanando omnes, benè faciendo.* Nunc eum populus pro vocare, pro dæmoniaco, seductore populi, & negante tributum dari Cæsari, ambienteque specialiter Regiam dignitatem accusat. Pilatus tamen videns eum innocentem, satagit eum dimittere, ideoq; juxta morem eorundem ponens IESUM, & Barabbam, dicens: *Quem vultis ut dimittam?* Et vide corruptam plebem, ac perversam. Expetunt sibi dimitti Barabbam, hominem scelestum, improbum, & homicidam, Christus verò crucifigatur, si conferre Christum Barabbæ grandis fuit injuria, quanta erit eum postponere. Summus DEUS patitur se infimo loco haberi, & indignabitur pulvis, si humiliori officio applicatur: In-

di-

dignaris turbæ, & ſolus quæ carnis ſunt, & mundi præponis ſpiritui, judicium tuum, judicio Superiorum.

AFFECTUS, CUM COLLOQUIO.

DEnuò, ô Bone IESU, falſis quidem adductus teſtimonijs tribunali Pilati ſiſteris, de eiſdem proclamaris maleficijs, *qui peccatum non feciſti, neque inventus eſt in te dolus.* Nihilominus Barabbæ poſtponeris: O inſania magna! ô maledictum judicium, ob quod DEUS morti adjudicatur, homicida dimittitur. Eodem ego procedo genere, dimitto homicidas Animæ meæ, relaxo frœna cupiditati, & indulgeo genio meo, IESUM verò his omnibus ſceleratè poſtpono. O Bone IESU, per hæc tua opprobria largire mihi cuncta mundi deſpicere, humana judicia nihili habere, poſtponi omnibus lubenti Animo. Hoc unicum demiſſè flagito, concede, ne te poſthac mille etiam mundis poſtponam.

Pater noſter. Ave Maria. Anima Chriſti. Recollectio. Scriptio. Lectio reſidua.

Pauculis horis Aſceta Amator tuus IESUS quievit utpotè cui Judæi prorſus inauditas fecerunt illuſiones. Quapropter ne à pietate tua ſemel aſſumpta recedas, propono tibi D. Hieronymum Eccleſiæ Doctorem profuſis lachrymis orantem, pectuſque ſuum duro lapide verberantem, cui non ceſsêre B. Stephana de Soncino, & Soror Catharina de Angelis Ordin. S. Dominici, quæ pari modo prægrandes lapides in ſinu ſuo geſtaverunt, ijſq; crebriùs pectus monuerunt ſuum. Abſint lapides; miranda hæc ſunt, non imitanda à te, mihi ſufficiet, ſi publicanum imitatus, manum, aut pugnum pectori tuo admoveris dicendo humili ſubmiſſione. *DEUS propitius eſto mihi peccatori, qui horum opprobriorum cauſa extiti.*

EXAMEN CIRCA TEMPERANTIAM, ET SOBRIETATEM.

PRimò. Duas duntaxat in die refectiones ſumere, niſi neceſſitas aliud exigeret: quam in rem dicere ſolitus erat Sanctus Petrus Luxemburgenſis, non comedere, eſſe Angelicum; ſemel in die comedere, eſſe Sanctorum; duplicem refectionem ſumere, eſſe hominum, & ſæpiùs id ſi fiat, brutorum eſſe.

Secun-

Secundò. In ordinarijs refectionibus, necessitatis modum non excedere.

Tertiò. Nunquam comedere ad saturitatem, aut tantùm, ut ad studia, ad lectionem, ad orationem aliaque exercitia red-daris ineptus.

Quartò. Aliquantulum se mortificare, tùm quoad ciborum, qualitatem, tum quoad quantitatem.

Quintò. Non ita cibis immergi, ut non attendamus, aut le-ctioni, quæ ad mensam fit, aut sermonibus aliorum, aut pijs con-siderationibus, quas habere nos oportet, dum soli sumus, vel ab alijs siletur.

Sextò. Non vorare, neque tantâ aviditate comedere, ut ci-bus non rectè masticetur.

Septimò. Non appetere delicatiora, neque in victu, neque in potu.

Octavò. Vinum moderatè diluere.

Nonò. Non bibere ultra necessitatem.

Decimò. Sine eadem, extra consuetum refectionis tempus non manducare, nisi permissum sit, ne sensualitati, aut ineptæ aliorum consuetudini obsequaris.

Undecimò. Non indulgere gulæ comedendo fructus, dulcia-ria, aliasque cupedias sive privatim, & furtim, sive publicè, & cum alijs.

Duodecimò. Diebus jejunij non excedere in sumenda colla-tione.

Decimò tertiò. Non plus idcircò sumere, quòd sequenti die jejunandum sit.

Decimò quartò. Diebus esurialibus non ita se in prandio in-gurgitare, ut cæna, etiam quovis alio die, valetudinis causa o-mitti posset.

Decimò quintò. Parcè cænare.

Decimò sextò. De victu nunquam queri.

Decimò septimò. Non loqui de bonitate vini, ciborum, alia-rumque lautitiarum.

Decimò octavò. Interdiù de cibis non cogitare.

Decimò nonò. Convivia declinare, & abstinere ab escis cali-dioribus, quæ aliquod castitati detrimentum adferre possent.

CONSIDERATIO.

QUanta felicitas, exemptum esse tyrannide insatiabilium desideriorum, quæ sola nos reddunt infelices! desideria desiderijs crescunt, & uno expleto, quatuor, vel plura alia subitò enascuntur. Unicum est desiderium rebus omnibus pretiosius, præstantiusque, scilicet, nihil aliud velle, neque desiderare, quàm facere DEI voluntatem.

Placeat hominibus, quisquis volet, ego nolo alteri placere quàm DEO, cùm certus sim, me ejus famulitio indignum, si cuipiam placere creaturis. Majorem mihi arrogare gratiam non possum, quàm Paulus, qui dicebat: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Quid præstat, an Christo placere, an homini? quisque pro se judicet, ego, quid mihi agendum sit, novi.

Tota vita mundanorum nihil aliud est, quàm quædam compositio vultûs affectata, nunquam risum, & lætitiam magis simulant, quàm quandò cor lachrymis diffluit. Forment, effigiantque quantùm voluerint, nunquam pervenient ad lætitiam ejus animæ, quæ nihil præter DEUM quærit, quæ recta in illum tendit, quæquè aliud non vult, quàm obsequi ejus Divinis voluntatibus.

Nescio, quo spectet eorum gloriosorum ambitio, qui cuperent esse eximij, & à nemine dependere; facessat hæc insania: si mihi optio daretur, ut vel à me uno dependerem, vel in omnibus, & per omnia à DEO, facilè deligerem; gloriosum mihi foret ab eo dependere, & infelicissimum, si meæ voluntatis Dominus, & arbiter esse permitterer: cessit mihi istud semper pessimè. Volo, & placet, ut DEUS sit unicus mei, rerumq; mearum moderator.

Accidat quidquid evenire potest, pestilentia, bellum, fames, infamia, vituperium, calumnia, jactura bonorum, valetudinis, vitæ: plùs oculis meis ista diligam, quòd illic reperiam Divinam voluntatem; inopiam oscularer, si me adiret, amplecterer ambabus ulnis omnes Cruces Universi, si eas DEUS imponere dignaretur; postquam didici, nihil citra Divinam voluntatem, in tota rerum natura accidere. quamquàm caro obluctetur, molesteque ferat, animo tamen læto, alacrique excipio omnia, & complector.

Sumnè major Dominus, quàm Christus IESUS? summè dignior Princeps, quàm Seraphim? summè Monarcha excelsior, quàm omnes ij Reges Regni cœlorum? ac hi omnes non alio nomine magni, digni, excelsique sunt, quàm ob magnam submissionem, qua se omnibus DEI voluntatibus subjecerunt. Dixere: Tua voluntas fiat, ô DEUS! hac semper usi, in hac omne studium suum, omnemque gloriam collocârunt. Quæ isthæc foret impudentia, ut aliter facere velit terræ vermiculus, & ex æquò cum Divina, suaque voluntate pacisci! nihil sapientiùs, quàm sapientes imitari.

DIES OCTAVUS.

Dedicatur devotioni SS Passionis.

MEDITATIO DECIMAQUINTA.

De Flagellatione, & Coronatione.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Meditatio subsequens excitat in homine Religioso summam admirationem, & stuporem, dum proponit DEI Filium, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ* fuisse habitum pro stulto, sumitur tamen ex hoc spectaculo documentum animæ, & solatium, ubi à proximis velut insipientes tractabimur. Deindè incutit novum horrorem peccatorum mortalium, siquidem demonstrat, ob enormitatem eorundem flagellis, spinisque Christum subjici. Tertio denique docet non solùm lubenti animo persecutiones perpeti, verùm etiam ipsam subire mortem. Formatur verò punctis sequentibus.

MEDITATIO DECIMAQUINTA.

De flagellatione, spinis coronatione, & condemnatione Christi ad mortem.

Oratio Præparatoria.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Propone tibi ignominiosam ad Herodem â Pilato transmissionem.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Ob oculos pone carcerem amplum, ineoque columnam, aliaque captivitatis loca, & vincula.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Pete intimam cordis tui compunctionem, quâ compati possis doloribus Salvatoris tui.

PUNCTUM PRIMUM. Considera, cui nam Pilatus transmittat Christum judicandum, cum audivisset à Judæis, quòd Herodes de gente illorum sit; Videlicet nefario homicidæ, qui S. Joannem occiderat, adultero, & iniquissimo Judici, & simul attende profundum in Incarnata sapientia silentium, quæ sic obmutuit, ut coram mundo æternum Verbum stultitia æstimaretur. Herodes verò licet multa de IESU audivisset, eumque interrogâsset, ast nihil respondentem vidisset *sprevit eum cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Luc. 23. ℣. 11. Judicans illum scilicet stultum, inurbanum, rusticum, qui quasi ex mentis inopia, & mera simplicitate taceret, & sic albâ veste indutum remisit ad Pilatum, quasi diceret, remitto tibi stultum, & simplicem Idiotam, qui ex mera stupiditate Rex fieri voluit. Disce, ô cinis, & pulvis! quousque te pro exaltanda DEI gloria submittere debeas. An propter sugillationes, & illatos contemptus à recto tramite deviare, legesque rectas transilire debeas. Et quid tandem queri audes te non rectè æstimari, quando ipsum Patrem æternum, vides sinere filium suum minori quam à Juda appretiari.

AFFECTUS.

RErspice, ô Anima mea, in faciem Christi tui. Contemplare vestem, quam Herodes impius eidem dederat irridens eum cum sua cohorte judicans illum esse stultum, insanum, neque mentis compotem, sicque delusum remittit per publica urbis compita ad Pilatum. Cogita, quousque te humiliari oporteat, & quam animo constanti ad exemplum Christi tibi perferenda sint opprobria, & disce in veste tuâ non deridere Christum.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera secundò, dum ex remisso IESU Pilatus nullam mortis causam reperire posset, *tradidit eum flagellandum*, ut sic castigatum, quod tunc temporis moris erat dimittere posset. Auditâ itaque sententiâ Christus oculos in cœlum elevavit, Patrique æterno amarissimos dolores, sanguinem,

ac

ac tormenta his verbis obtulit: *Quoniam ego in flagella paratus sum*; ac promptè, ultroneeque corpus suum aptavit, cum magna nudidatis suæ erubescentia, sic enim B. V. S. Brigittæ revelavit, jubente lictore seipsum vestibus exuit, columnam spontè amplectens, & toto corpore nudus. Vide quousque Pater æternus Filium suum expropriaverit, & exinaniverit. Et non solùm volucres cœli nidos, vulpes foveas habent, sed etiam terra vestitur floribus, arbores folijs, campi spicis, cœlum stellis, aves plumis, squammis pisces, is solùm qui verbo virtutis suæ fecit omnia, nudus coram omni populo adstat ligatus ad columnam, dicere poterat pius IESUS: *Tota die verecundia contra me est, & confusio cooperuit me*. Psal. 43 ℣. 26. Cogita quàm crudelis hæc fuerit excarnificatio &c. Irasceris his perversis, ac scælestis lictoribus, tibi potiùs, qui non horâ unâ, sed per annos integros, fors etiam ab usu rationis toto vitæ tempore *supra dorsum* ejus excogitatis tuis carnalibus peccatis *fabricâsti*, prolongando has similes iniquitates, dein pondera, quàm dispari ratione carnem tuam sic peccantem in statu pœnitentiæ habeas.

AFFECTUS.

AMor ille Divinus, quo arsisti in me peccatorem non contentabatur, ut injuriosis castigareris opprobrijs, verùm expetijt flagra, & verbera crudelissima, quibus virgineum tuum corpus millenis notatum est flagellorum ictibus, nihilominùs quàm patientissimo hæc pertulisti animo, imò quàm placidissimis ipsam columnam amplexatus es brachiis, demùm funibus remissis totus natâsti in sanguine. O mitissimè IESU, quàm perversa est vita mea! tu nudus pro me flagellaris, & hæc ipsa denudatio est verecundia, quæ contra te est totâ die. Nulla tamen in me, quæ confunderet delicias corporis mei, ut ijs animadversis desisterem à peccatis meis.

PUNCTUM TERTIUM. Considera tertio, quàm crudele, & inauditum tormentum fuerit spinea corona, ita ut ijs verbis omnes viros Religiosos incitari arbitrer, quibus sponsa Cant. 3. ℣. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua*. Egredimini viri Apostolici, milites Christiani, animæ DEO dicatæ. Ecce Rex vester, *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei*. Hæc est dies desponsationis, & lætitiæ ejus.

Severa Mater Judæa, & mundus ſpinis illum contemptûs cauſa coronavit, ipſe verò pro ſpinis accepit diadema charitatis. Ecce *Rex Regum, & Dominus dominantium, inſuſpicabilis portavit diadema*, ait Theodoretus. Quis DEI capiti ſpineum ſertum imponendum ſuſpicaretur, & tamen chlamydem coccineam, ſeu purpureum veſtimentum circumdederunt ei, vide ad quàm indigna, abjecta, & ad quæ opprobria DEUS Filium ſuum Unigenitum, & viros, quandoque Religioſos demittat, ut teſtimonium perhibeant veritati. Coronari voluit, ac graviſſimam perpeti in capite pœnam ob tuam ingentem capitoſitatem, ſuperbiam, ac pertinacitatem, non vult DEUS ut tibi ſervias, mundi plauſus, honores, laureas, & coronas veneris, ſed ut à mundo odio habitus coronam aliam non accipias, quàm ſpineam.

A F F E C T U S.

REx Regum, & Dominus Dominantium appellabaris, & fuiſti mi Bone IESU. Sed ah! quam diſſimilem, imò indecentiſſimam tibi Mater Noverca Judæa impoſuit coronam,& ego cum illa. Corona hæc eſt ignominiæ, & ludibrij. Purpura calumniæ, arundo ſceptri loco ad demonſtrandum Regnum tuum eſſe arundineum, inſtabile, & execrabile. Ita ne Anima mea DEUM tuum honoras. Deteſtare inſipientiam tuam, execrare ſuperbiam. Suſcipe coronam ſpineam, ſi vis coronari cum DEO tuo.

PUNCTUM QUARTUM. Contemplare, quomodo exercitis in Chriſtum prænominatis ſupplicijs exaſperatus populus clamoroſa voce expectat mortem Chriſti, & quidem Crucis. Quapropter arbitratus Pilatus ſe poſſe commovere populum ad compaſſionem, ad quod ſpectaculum feræ beſtiæ, ac inimiciſſimi etiam flecterentur, producit eum purpurâ indutum, ſpinis coronatum, dilaceratum in corpore, arundinem in manu tenentem dicens : *Ecce homo*. Quaſi diceret, videte hominem, ſi ſpecies tamen in eo hominis eſt, & compeſcite animos veſtros. Attamen nemo, è tot millibus hominum (inter quos erant plurimi varijs beneficijs acceptis, Chriſto obligati, etiam Apoſtoli, reliquiq; diſcipuli) comparuit, qui vel verbulo pro Chriſto deprecaretur, ubi animadverte inter graviſſimos caſus, quibus DEUS ſolet patientem hominem exercere, eſt, quando cum publica eorum, qui præſunt, ſuoque muneri probè ſatisfacerè

pu-

putantur, authoritate quis reus factus, desertus etiam ab amicis, & notis, ita ut nullus locus tuendæ famæ supersit, condemnatur, disce patientiam. Dum itaque Pilatus inaudiret: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Tolle, tolle, crucifige, crucifige.* Victus amicitia hominis, non considerans rationem, justitiam, ac misericordiam, sed furentis populi voluntatem, licet verbis, & factis innocentem IESUM declaraverit, *tradidit voluntati eorum.* Ah! quot amicitiæ, quot populi rumores tuum apud te perire fecerunt Salvatorem.

AFFECTUS.

DUm formam accepisti servi, dissimilis eras DEO, utpotè te exinaniniens. Nunc necesse est, ut alieno notificeris testimonio te esse hominem, siquidem te Judæa rabies ita flagellis, spinisque deformavit, quod nec speciem hominis amplius anteferre potueras. O Bone IESU, per tua flagra, & coronam spineam te rogo miserere mei, & dimitte mihi peccata mea.

Recollectio. Lectio Thom Kemp. lib. 3. cap. 13. 20. & 21. Ex Paulo Barrij dissert. de damnis voluntatis propriæ fol. 459. Explan. Regul. cap. 2.

Tessera. *Ficta est charitas, quæ deserit in adversitate.* Vel: *In flagella paratus sum.* Vel: *Eligent magis mortem, quam vitam.* Vel: *Caput meum plenum est ore.*

DEVOTIO.

QUam salubris animæ cuivis Christianæ, maximè verò Religiosæ sit memoria SS. Passionis, elucet ex diversis SS. PP. sententijs, imò ex ipso Christi docentis ore, cùm enim dixisset S. Gertrudis ad Dominum: *Eja nunc Domine, doce me, qualiter possim tibi laudabiliter Passionem tuam venerandam percollere.* Respondit Dominus: *Ut scilicet frequentiùs mente revolvas, cum gratitudine, & compassione anxietatem illam, quâ ego Creator tuus, & Dominus in agonia constitutus prolixiùs oravi &c.* Alibi: *Quicunq;* (quamvis gravi pondere peccatorum se senserit oppressum) *respirare poterit in spem veniæ, offerendo DEO Patri meam innocentissimam Passionem, & mortem. Et credat se per hoc saluberrimum fructum Indulgentiæ obtinere: quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, quam devota memoria meæ passionis, cum vera pænitentia, & fide recta.*

B. V. MARIA, docuit S. Brigittam, quomodo spiritualiter ve-

vestiri deberet, inter alia monet: *Monile, est consideratio Passionis Christi. Hoc sit jugiter fixum in pectore tuo, quomodo derisus, & flagellatus, quomodo sanguinolentus, & omnibus nervis confossus &c.*

B. Columbinus morti proximus inter alia fratribus suis commendavit: *Maximè vobis semper sit in memoria vita, & Passio JESU Christi.*

S. Ignatius cum Minoressæ maneret commendabat populo in publicis adhortationibus memoriam Passionis, dicebat enim omnibus, ut omni tempore cogitarent de Passione Christi, quia hæc erit vera consolatio.

B. Albertus Magnus asserit simplicem Christi Passionis memoriam, & meditationem plus utilitatis homini adferre, quam si anno integro in pane, & aqua jejunaret, & flagellis se quotidie usque ad sanguinem cæderet, & psalterium totum quotidiè recitaret.

S. Bonaventura asserit: *Qui se intentè, ac devotè in SS. Vita, & Passione Domini exercet, omnia utilia, & necessaria sibi abundanter ibi invenit, nec opus est, ut extra JESUM aliquid quærat.*

Quid tam efficax, inquit S. Bernardus, *ad curanda conscientiæ nostræ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio.*

Alibi: *Sit tibi JESUS semper in corde, & imago Crucifixi ab animo tuo nunquam recedat. Hic tibi sit cibus, & potus, dulcedo, & consolatio tua &c. lectio tua, meditatio, vita, mors, & resurrectio tua.*

Ex his assignatis sententijs, & doctrinis summam accipiet devotionem quivis Religiosus ad sequens Horologium toto vitæ suæ tempore exercendum.

Recitato itaque Ave Maria ad sonum Horologij, orabit sequentem oratiunculam: *O mi dulcissime JESU, in virtute SS. Passionis tuæ propitius esto mihi peccatori in hac hora, in qua tu mi JESU Salvator* (N.) *& in ultima, quando egredietur anima mea de corpore isto.*

Horâ 6. vespertinâ. Pedes tuorum discipulorum lavisti. Horâ. 7. Corpus, & sanguinem in cibum, & potum dedisti. Horâ 8. In horto orans sanguinem sudâsti. Horâ 9. A Juda proditus, & à Judæis captus. Horâ 10. Ad Annam ligatus, ductus. Horâ 11. Ab Anna ad Caipham deductus, Horâ 12. Apud Caipham alapâ percussus. Horâ 1. In prætorio illusus, consputus, & irrisus.

ſus. Horâ 2. A Petro jurejurando ter negatus. Horâ 3. A falſis teſtibus accuſatus. Horâ 4 Reus mortis proclamatus. Horâ 5. Vinctus ad Pilatum ductus. Horâ 6. Ab Herode veſte albâ illuſus. Horâ 7. Barrabbæ poſtpoſitus. Horâ 8. Crudeliſſimè flagris cæſus. Horâ 9. Spinis miſerabiliter coronatus. Horâ 10. Ante populum productus. Horâ 11. Crucem bajulâſti. Horâ 12. Cruci affixus. Horâ 1. Piam Matrem tuam allocutus. Horâ 2. Felle, & aceto potatus. Horâ 3. In cruce mortuus. Horâ. 4. De cruce depoſitus. Horâ 5. Cum lachrymis ſepultus. Horâ 6. ut ſupra.

Vel ora Offic. S. Crucis, Litan. de Paſſ. aut Hymn. S. Bern. *Salve mundi ſalutare, Salve, ſalve JESU chare &c.* Hunc dicentibus conceſſit Urbanus Papa V. Indulgent. 1370. An. & inſuper 50. dies: S. Bernardo oranti dixit Chriſtus, vulnus quod in humero paſſus eſt, à bajulatione Crucis fuiſſe doloroſiſſimum, addiditque qui per hujus Sancti vulneris reverentiam à ſe quid ſalutiferum petierit obtenturum. Eugenius III. conceſſit Indulgent. 3000. Annor. qui ad honorem hujus S. Vulneris dixerit 3. Pater, & Ave Maria, rogans Dominum IESUM, ut per ſanguineos paſſus ſuos nos ad ſalutem deducat.

DIES OCTAVUS.

Ejuſdem intentionis.

MEDITATIO DECIMASEXTA.

De Crucifixione, & morte Chriſti.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

Conſideratio Condemnationis, & mortis Chriſti incredibile eſt dictu, quantum ſolamen adferat piæ animæ in mæroribus conſtitutæ. Nam ſi homo inſons ſupplicijs damnetur, Chriſtum pro Magiſtro habet, ad cujus perſonæ qualitates attendens non poteſt non ſolamen capere, quod dignus habeatur gloriæ Chriſti Do-

mini associari, quemadmodum legimus Apostolos ivisse gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESU contumeliam pati. Consideratio mortis & eorum, quæ circa mortem peracta sunt, multum adferunt solatium cuilibet fideli in angustijs constituto. Mysterium denique sepulturæ excitat in nobis speciales actus doloris, & Compassionis B. Virg. dum proponitur, quam doloroso animo filium suum de Cruce depositum in sinum acceperit suum, qualiterque cum SS. Joanne, Josepho, Nicodemo, SS. Matronis eundem sepeliverit. Desideratur hic viva imaginatio, & repræsentatio personarum præsentium eo tempore, & formatur modo sequenti.

MEDITATIO DECIMASEXTA.

De Crucis Bajulatione, Crucifixione, & Sepultura.

Oratio ut supra. fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Propone tibi populum tumultuantem ante domum Pilati cum Cruce.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Aspice IESUM inter duos latrones in monte Calvariæ pendentem.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Pete intimam vitæ tuæ anteactæ mortificationem, ac exinanitionem tuæ propriæ voluntatis.

PUNCTUM PRIMUM. Contemplare quomodo obtenta à Pilato in Christum licentia, ut crucifigeretur, eundem cum impetu rapuerint, pergrande lignum Crucis ejusdem humeris delicatissimis, & debilissimis imponentes pro majori dolore, & ignominia, reliquis verò duobus latronibus, vilissimis homuncionibus, profligatæ vitæ mancipijs alienâ ope deferuntur, ut saltem infamis patibuli præsentia, & onere liberati faciliùs mortem tolerarent. Intuere in Christo verum Isaacum ligna suis humeris ad montem deferentem, Gen. 22. ut super immoletur victima. Nihilominus amplexus est lubens, quamvis brevi in tempore onere ejusdem depressus succumberet, undè cum eum trahendo, & impellendo calcibus, fustibusque adigendo jam promovere non possent deficientem, coadjutorem in ferendo adhibuerunt. I nunc, & querere, qui te Religiosum, & servum vocas Christi, si tui ratio non habeatur, estò haberi deberet. Querere, si frons ferat de nimio labore, quòd tibi soli omnia onera imponantur, favores nulli concedantur, in omnibus tui irrisio,

tui

tui mortificatio, & depressio intendatur.

A F F E C T U S.

O Spectaculum grande, Redemptor meus, qui tribus digitis sustinet mundum, nunc sub onere gravi Crucis prostratus jacet. Vix spirat præ magnitudine doloris, non tamen fleri supra se sed supra peccatores, passionẽ suã nõ agnituros, exposcit. O durũ cor meum, quomodo non tangeris dolore intrinseco, & in lachrymas dissolveris. Ignosce, ô DEUS meus, succende frigidum cor meum, ut crucem tuam tecum lubens, maximè in his N. amplectar.

PUNCTUM SECUNDUM. Inspice quomodo deveniens ad montem Calvariæ vestibus spolietur, & licet ob fatigium quædam vulnera solverit usque ad sanguinem, in reliquis tamen adhærentibus vestimentis novum doloris genus perpessus sit. Stat nudus inter latrones, & carnifices, prosternitur tandem ad trabem crucis corpori minùs proportionatam, hinc adhibentur funes, extendit quidem manum dexteram, affigitur incuspidato clavo, sinistra verò, ut locum attingat, violentia attrahentium aptatur, ita & pedes, ut omnes compages, nervi, & costæ dinumerari possent. Stant à longè Mater dilectissima, discipulus charus, reliquæque piæ mulieres intimè condolentes, ast nullum auxilium adest. Elevatur cum ingenti labore, & in fossam crucis lignum dejicitur, & ecce iterum novi dolores. Cur hæc omnia? sufficisset enim vel unica sanguinis guttula, sed disce hic extremam expropriationem, & exinanitionem tui secundùm exemplum Christi, *Factus est ille obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Crux autem Christi,* inquit S. Augustinus, *non solùm est lectulus morientis, sed & cathedra docentis,* in Joan. tract. 114. Audi igitur quisquis es vir Religiosus voces Magistri tui, quem tibi æternus Pater dedit, ut audias: *Omnis ex vobis, qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.*

A F F E C T U S.

JAm video te, ô Mitissime IESU, qui prius prostratus jacebas, in ligno Crucis elevatum. O quam intensos sensisti dolores, dum corpus tuum trabali hoc oneri aptari debuit, artereæ omnes, venæ omnes in te ruptæ sunt. Verè non fuit similis dolor, sicut dolor tuus. Recordare Bone IESU, verborũ nunc tuorũ, qui-

bus consolationem animabus insinuasti nostris promittendo, quod ubi exaltatus fueris (in ligno videlicet S. Crucis) omnia trahes ad te, trahe me post te, abstrahe me à mundo, carne, & dæmone, trahe meam voluntatem etiam perversam ad te, & curram in odorem unguentorum, id est, virtutum tuarum.

PUNCTUM TERTIUM. Constitutus ad pedes Christi Crucifixi, oculisque ad eum levatis, præter alia, quæ considerare hic poteris, perpende 7. ab illo prolata verba. In primis pro tot maledictionibus, tot execrationibus orationem pro inimicis reponit. Ora pro persequentibus te, ignosceque illis, aut peccantes excusa, quia verè omnis peccator ignorans est. Secundò, promittit latroni Paradisum. Quæ benignitas IESU? plus exhibet quàm petatur. Esto autem prius in cruce, quia si compassus fueris, conregnabis. S. Greg. hom. 37. Tertiò alloquitur: *Mulier, ecce filius tuus,* loco sui relinquit. Disce, & tu in proximis agnoscere Christum, firma erit charitas, firmior obedientia&c. Deindè dicit discipulo: *Ecce Mater tua.* Erit & tua si te monstraveris esse filium. Quartò, circa horam nonam clamavit voce magna: *DEUS, DEUS, ut quid dereliquisti me.* Vox ista, ait S. Leo, *non quærela, sed doctrina est erudiens nos, eousq; devenisse Christi dolores, ut noluerit eos jam interna DEI assistentia mitigare.* Quintò, dixit: *Sitio,* quæ sitis non tantum fuit corporis ob magnam sanguinis effusionem, *sed potiùs animæ,* ut ait Blos. in expl. Pass. cap. 18. *Habuit aliam sitim, puta ampliùs patiendi, atque evidentiorem nobis amorem demonstrandi,* alij putant, ut & lingua non careret dolore. Sextò, *Consumatum est.* Divinum est, cœpta perficere, maximè quæ DEI, quæ Regulæ, quæ Consiliorum piorum sunt. Septimò: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Spiritûs semper cura habenda est, & *inclinato capite emisit spiritum.* O sublime mysterium! DEUS moritur. Quid non facit amor, quid rependes? *inclina & tu cor tuum ad custodiendas justificationes tuas.* Psal. 118.

A F F E C T U S.

AH! utinam transfunderes, ô Bone IESU dolorem illum, in me, quem benedicta tua Mater gladio doloris transfixa sub cruce sensit. Utinam cum amante Magdalena sæpius sub hac arbore requiescerem. Utinam cum illo Crucis tuæ sectatore Paulo sentirem, diceremque millies, *Mihi autem absit gloriari, nisi in*

Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ah! felix ille, qui dicere potest, ego stigmata Domini IESU in corpore meo porto. Tu meus eris amor Crucifixus.

PUNCTUM QUARTUM. Expende hic, licet DEUS, totâ rerum natura penes se commovente, in morte Christi divinitatis manifestum dederit argumentum, dum videlicet Petræ scissæ sunt, & vellum, sol obscuratus, terra tremuit, mortui è sepulchris surrexerunt &c. attamen quota pars Judæorum tam novis, inauditisque in cœlo, terraque concurrentibus signis commota resipuit, pauci. Quoti etiam hoc tempore post veritatem hanc verè agnitam ad verum, constantemque dolorem scelerum, & vitæ suæ emendationem moventur, licet indubitanter agnoscant: quòd Christus moriens peccata nostra pertulerit in suo corpore. Cogita, quâ compassione eundem de Cruce deposuerint Joseph, Nicodemus, Joannes &c. Jn quæ oscula non ruerint, quas lachrymas profuderint, quot intima cordis suspiria emiserint, quâ reverentiâ instrumenta Passionis, ut clavos, spineam coronam, exceperint. Tandem delibantes, & ungentes corpus ad sepulchrum detulerint, ac obvoluto lapide sepeliverint. Quis dolor! quæ mœstitia! qui gemitus!

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

AD intuitum tuum in Cruce erubesco, ô mi Bone IESU, qui tam crudeli morte ob mea scelera spectaculum factus es Angelis, & hominibus. Fierinè potuit, ut propter hominem DEUS innocens hæc tormenta pati voluerit, ne patiatur nocens homo. O peccata tantam DEI mei offensam, tantam Christi pœnam causantia, quantum estis malum! Ita ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra. Et adhuc peccamus, rursum crucifigentes nobismetipsis Filium DEI. Quis credat? & tamen magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quam vulnera corporis sui, hæc enim propter illa sustinuit. O Bone IESU, miserere mei. Da mihi mortem, ut vivam tibi. Per has tuas pœnas, per tuæ Crucis ignominiosissimæ tormenta rogo, parce, & requiesce in corde meo. Amplius nemo in me vivet, morietur vetus in me homo, tu inhabitabis cor meum, imò firmo propositorum lapide reclusus, mansurus es in me. Ut dicere possim omni tempore, omni loco, quacunque

occasione, *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scriptio. Lectio residua.

Asceta. D. Pater noster Paulus repertus estmortuus à S. Antonio, cum pallio S. Athanasij redeunte; extensis in altum manibus, erectaque cervice si filium te profiteris, imitare Patris exemplum, sequere Magistrum, lectulo tuo te non concrede antequam extensis brachijs Psalmum *De profundis*, aut *Miserere* persolveris. Consuetudinem hanc suo fuisse tempore scribit Tertullianus dicens: *Nos autem non solùm elevamus manus, sed & extendimus.*

EXAMEN CIRCA PATIENTIAM.

PRimò. Silentio prætererire, neque respondere, aut par pari referre, quandò injurijs afficimur, aut accusamur.

Secundò. Omne indicium iracundiæ, & indignationis compescere, ne erumpat.

Tertiò. Molestias illas secum digerere, neque queri, nisi amanter apud DEUM orationis tempore; neque ullo signo externo læsionem prodere.

Quartò. Eadem animi, vultusq; constantiâ irrisiones, despectus, calumnias, dolores, ægritudines, omniaque malorum genera, quin & mortem ipsam tolerare.

Quintò. Existimare se dignum, & promeritum quævis mala, ob scelera vitæ anteactæ, ideoque omni solatio, & quiete indignum, imò graviora, acerbioraq; mereri, quàm patiamur.

Sextò. Pacem, & lætitiam internam non dimittere, quidquid adversi accidat.

Septimò. In afflictionibus DEUM laudare verbis S. Job. *Sit Nomen Domini benedictum.*

Octavò. Vires ad tolerandum à DEO postulare, cum ea fiducia, quòd omnia possimus in eo, qui nos confortat: Domine vim patior, responde pro me.

Nonò. Majores à DEO afflictiones petere, si sit ad illius gloriam, & salutem nostram, sed unà, ut robur, & patientiam necessariam subministret, exemplo Pij V. *Domine auge dolorem, sed auge patientiam.*

De-

Decimò. Suaviter, & sereno vultu ijs respondere, qui lædunt, si modò necessaria, aut utilis sit responsio.

Undecimò. Amare, & officia charitatis exhibere offendentibus, reddendo bonum pro malo.

Duodecimò. Orare peculiariter pro illis, qui nos affligunt, aut animo sunt à nobis alieniore.

CONSIDERATIO.

QUale ijs probrum, qui Christo Crucem portanti ferre opem recusant! Hoc Crucis extremum non admodum gravat, solæ occasiones sunt, quas tibi offert, ut pro illo patiaris. Si id exigeret à te, ut manibus, pedibusque affigereris, ut sexies mille ictus flagellorum exciperes aliquid foret argumenti, quo te difficilem præberes; tantoperè verò tergiversari, ob extremum Crucis, & propter tantilla, quæ nobis in comparationem eorum quæ ille sustinuit, toleranda occurrunt, nescio sanè quid excusationis prætexere aliquandò poterimus, ubi eam ille ignaviam meritò nobis exprobraverit.

Ex mente D. Bernardi, multa bona agere, & multa mala pati, Christianum est. Undè igitur ego, qui peculiari quadam ratione virtutem, & nomen istud profiteor, mihi magnopere blandiar? ubi bona, quæ egi? ubi mala, quæ passus sum? ingens abusus est, credere multùm præstari, cùm nihil, aut quasi nihil, præstatur.

Miles ad patiendum se resolvit, id enim militiæ ratio postulat; cujus, ut loci more vivat, oportet enim aptare se consuetudinibus patriæ, in qua degitur. Militia hujus vitæ, sine tolerantia non est, & consuetudo civium mundi est bona, malaque sustinere. In cœlo nil nisi bonum est; in inferno nil nisi malum. Tertia, quæ his interjacet, utriusque extremi particeps est. Injuria ne ergo à te exigitur, ut statuas vivere more aliorum? præsertim cum id lubenti animo faciens, & pro expiatione peccatorum tuorum, cœlum quoque promerearis?

Nihil absque DEI voluntate contingit, quòd modò displicet, placebit aliquando. Militiæ, quò plùs molestiarum, & vulnerum subitur, eò plùs gloriæ accedit: manus Chirurgi dum secat ingrata est, at ubi vulnus curavit, eandem deosculamur; sartor corrumpere materiam videtur, dum in partes illam discindit,

dum

dum ſerico infligit vulnera, & tot inciſiones, diceres rem perdi, ſed pauliſper expecta, & videbis veſtem indè pulcherrimam prodire. Præſtolare tu quoque tempus à DEO deſtinatum, & magnam ab omnibus afflictionibus tuis gloriam reportabis.

Quâ fronte quærimus hujus vitæ voluptates, & delicias, poſtquam ſcimus, & seriò comprehendimus IESUM mortuum eſſe, & noſtri cauſa mortuum? S. Eliſabeth Hungarica, auditâ mariti morte, quâ nihil funeſtiùs illi accidere potuiſſet, manus in cœlum ſuſtulit, erupitque in has voces; quandoquidem mihi frater, & dilectiſſimus amicus defunctus eſt, jam mihi mundus eſſe deſijt, nullæ voluptates miſeræ Eliſabethæ reliquæ ſunt! dicamus & nos; ſi IESUS mihi omnia eſt, & Pater, & Amicus, & Sponſus, & unicæ deliciæ cordis mei, & ſi ille pro me mortuus eſt, quid aliud poſſum, quàm ſeriò, conſtanterque mundo, & omnibus illius voluptatibus valedicere? Vale igitur munde, valete voluptates, valete creaturæ omnes, quandoquidem IESUS meus mortuus eſt, & quidem amore mei mortuus eſt!

Quiſque cor ſuum ubi voluerit, defigat, ego meum ad pedes Crucifixi defigere volo, neque patiar indè avelli animum, & cogitationes meas. Et an non jure meritiſſimo? cùm antequam eſſem, & quam mereri poſſem, IESUS in monte Calvariæ mei meminiſſe voluerit, tantaque attentione, & amore diviniſſimam ſuam mentem mihi applicuit, quaſi præter me nullus in rerum natura extitiſſet, pro quo pati, & ſanguinis ſui meritum accommodare debuiſſet.

EXERCITIA TRIA CHRISTI FIDELIBUS cunctis longè utiliſſima, ex quibus, velut radicibus omnia pullulant exercitia.

QUicunque autem tria iſta Exercitia ſtudioſe ſervaverit citò à peccatis, & vitijs omnibus mundabitur: gratijs, doniſque maximis illuſtrabitur, perfecta charitate, & amicitiâ DEO unietur, & felici morte conſummabitur.

Exercitium primum vocatur debitum, ut videlicet diligenter mediteris die ac nocte, quid pro loco, & tempore, & hora qualibet debeas facere, juxta legem DEI, ſive Ordinis, ſive ſtatûs tui: quia ingratum eſt Spiritui Sancto quicquid feceris, neglecto eo ad quod teneris. Satage ergò facere quod debes, non

quod

quod libet, seu secundùm sensualitatem delectat: & libros ad hoc necessarios diligenter perquire, & revolve: & curiosos, aliosq; omnes tuo proposito non servientes, tibique non necessarios libros relinque: devotos homines de Divinis loquentes, libenter consule, & audi; vagos verò, & curiosos fuge, aut ex charitate corripe, & pro ipsis ora.

Inter omnia autem debita, præcipuâ curâ studeas laudes, & officia Divina in Templo, & Cella cum omni diligentia, & reverentia solvere: ne aliqua ex tua parte negligentia contingat territus exemplo Saulis, qui quando intumuit, & neglecta obedientia, quod sibi bonum videbatur obtulit, à Domino abjectus est. 1. Reg. 15. Ad Gloria Patri opta summo desiderio DEUM ab omnibus creaturis perfectissimè laudari, pro his, quæ in Psalmo commemorata sunt, videlicet pro quolibet beneficio nobis præstito, vel tormento per ipsum pro nostra redemptione perpesso, & pro singulis vitijs, & periculis, à quibus te liberavit, cum maximo desiderio eadem vitia de cætero vitandi usque ad mortem: secundùm quod hæc omnia, vel eorum aliqua in Psalmo illo prævio à te fuerunt lecta, cantata, vel audita. Simili devotione omnia, quæ tibi ex debito incumbunt exequere, & age, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, omnia illa purâ intentione singulatim DEO offerendo ad gloriam suam, & tuam voluntatem, & cupiditatem funditùs abnegando in omnibus operibus, & exercitijs tuis.

UTI ET QUANDO QUISQUE SUAM CONSCIENTIAM discutere, atque cum DEO denuò in gratiam redire debeat?

EXercitium justum deinde secundo loco hoc modo exercebis: nam quotidiè examinando teipsum, quodlibet operum tuorum in se valdè defectuosum, & in te multis offendisse conspicies, teque cum tali offensa, & cordis immunditia ad devotum exercitium; & DEI aspectum non posse pervenire cognosces, sicque tibi necesse videbis, ut DEUM sic offensum, primò per pœnitentiam places, secundò cor ab omni immunditia purges.

Nocturno igitur, sive serotino, aut alio tempore apto, quantùm tibi possibile fuerit (ut posses devotum exercitium dignè peragere) solus in cubiculo exerceas te, scopando spiritum tu-

um, & mundando cum magna cordis contritione, pro multiplici DEI offensione, lavando per singulas noctes lectum tuum, & lachrymis tuis stratum tuum rigando, Psal. 6.& pro singulis peccatis, quasi luctum unigeniti faciendo, Hier. 6. & tibi ipsi pœnam aliquam imponendo, quod tam multipliciter & graviter peccasti, & DEUM tuum offendisti. De quo humiliter confitearis de secreto, in secreto, & de publicis in publico, paratus ad flagella, ad verbera, & ad omnia adversa, quæ DEUS, vel homines imposuerint, vel ipse assumpseris pro satisfactione adimplenda. Orans DEUM, ut ipse dignetur, quod tu minùs facis supplere, & te in isto sæculo punire, suscipiens omnia adversa de manu ejus, tibi missa ex amore, cum maxima gratitudine: & habens firmum propositum plangenda ulteriùs non committere cum bona spe, & fiducia de DEI misericordia. Nihilominus tua peccata allevia propter diversos respectus, & circumstantias ad hoc concurrentes, & ideò teipsum plusquàm aliam creaturam odias, velut indignum, qui à terra porteris, eò quod tam bonum Dominum sic offenderis, & omnes homines plusquam te diligas, æstimans te omnibus illis, propter cæteros respectus in veritate pejorem: quia non tam graviter peccaverunt ut tu, neque tot, ac tanta beneficia, gratias, & occasiones mala dimittendi, & bona faciendi à DEO receperunt ut tu, si benè illis uti voluisses.

DEVOTIO VERA IN QUIBUS CONSISTIT, *quibusq; ea modis sit fovenda?*

EXercitium tertium, id est devotum, consistit præcipuè in prompta voluntate ad DEI obsequia, & ad cuncta DEO beneplacita, quo pervenitur ad contemplanda bona super cœlestia. Ad quod nulla est securior via, quam ut mundis oculis cordis inspicias, & mediteris vitam, ac passionem Domini nostri IESU Christi, tam secundum ejus divinitatem, quam humanitatem, tam ante sæcula, quàm in sæculo, & post finem sæculorum, tam in creaturis, quàm scripturis expressam. Ad quod etiam exercitium, Psalterium Davidicum, non parùm confert, utpotè mysterijs Christi refertissimum, sicut & cæteræ scripturæ: quia IESUS Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joan. 1. Maximè tamen eum, qui

sim-

ſimplici fide, puro ac mundo corde, piaq; ac devotâ meditatione accedit ad eum, non solùm intimè compatiendo, ſed etiam ipſum pro tali exemplo, & pro tanto beneficio omnibus medullis cordis ſui benedicendo, laudando, & in Pſalmis, & alijs Scripturis ipſi gratias agendo, & jubilando, & omnes homines, & Angelos, & creaturas ad ipſum laudandum invocando: ſed etiam verbis, factis, & exemplis, fervidâ charitate, perfectaque voluntate pro poſſe ſuo, & conatu maximo ipſum in hac via, veritate, ac vita pro viribus ſuis ſequendo & imitando, & vitam ſuam, & mores illi conformando. Qui hæc tria præſcripta exercitia fideliter cuſtodierunt, & in eis perſeveraverunt, faciliter, & mirabiliter ad magnam ſanctitatem, ſummamque perfectionem pervenerunt, dum totam vitam ſuam in his tribus exercitijs impenderunt: ita ut ſæpè exteriùs, & interiùs maximo charitatis ardore eos in meditatione eorum exardeſcens ignis divinæ charitatis inflammaverit. Qui DEO per hæc valdè chari, & accepti facti ſunt, adeò, ut propter eos etiam multis alijs pepercerit, & beneficia ſua in Eccleſia ſua exhibuerit, tùm vivis, tùm defunctis.

Quemadmodum etiam nuper contigit cuidam DEI amico, qui pro exercitio devoto meditabatur, & aſpexit vitam & paſſionem IESU. Primò, in antiquis Patribus, in veteri Teſtamento multipliciter præfiguratam. Secundò, per ipſum Dominum IESUM mirabilibus operibus perſonaliter exhibitam. Tertiò, in operibus, & paſſionibus Sanctorum membrorum ſuorum, eidem adhærentium, multipliciter exercitatam, & nobis utiliter exemplificatam. Et ſic omnia traxit ad vitam, & paſſionem Domini, quemadmodum ſcriptum eſt: *Memor fui dierum antiquorum*, (quoad primum) *meditatus ſum in omnibus operibus tuis*, (quoad ſecundum) *In factis manuum tuarum meditabor*, Pſal. 142. (quoad tertium.) Qui tandem recepit in iſto ſæculo ex meditatione, vel exercitio debito magnam cum DEO familiaritatem, & familiarem de multis informationem, & ex meditatione juſta perfectam in hac vita peccatorum purgationem: & ex meditatione devota mirabiles illuminationes mentis, & raptus etiam uſque ad tertium cœlum, & Secretorum DEI cognitionem limpidiſſimam, & cum ſummo DEO amicitiam, & unionem in uno ſpiri-

tu: præter ea, quæ in futuro sæculo illi reposita sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit DEUS diligentibus se.

DE DUODECIM DEFECTIBUS, HOMINI pio valdè perniciosis.

PRimò. Quod nimiùm est externus, ideò & interna consolatio meritò ei subtrahitur. Secundò, Quod nimium socialis, & affabilis, quare fit ut DEO minùs placeat. Tertiò. Quod nimis audax, & temerarius, ideò spiritualem quoque verecundiam amittit. Quartò. Quod impetu quodam ad omnia fertur, quare animi tranquillitatem perdit. Quintò. Quod in virtutibus revera tamen non suis nimiùm extollitur, ideò verâ humilitate fraudatur. Sextò. Quòd pronior est ad alios dijudicandos, quare fraternam in se charitatem jugulat. Septimò. Quòd transitoria ista nimium amat, ideò Divinus amor ei subtrahitur. Octavò. Quòd supinus nimiùm est in orationibus, ideò interno quoque affectu privatur. Nonò. Quòd desidior est ad ea peragenda, quibus vitia sua edomare posset, quare fit, ut gratiam quoque DEI amittat. Decimò. Quòd externis operibus nimiùm est addictus, quare fit, ut ipse sibi perfectè non innotescat, & Divina insuper dulcedine destituatur. Undecimò. Quòd nimium lautus est, ideò ad germanam naturæ mortificationem nunquam perveniet. Duodecimò. Quòd in defectibus suis extirpandis negligentior sit, ideò puritatis animi jacturam facit non minimam.

REGULÆ UTILES AD PLENIOREM spirituum discretionem.

PRIMA est, quòd proprium est DEI, & Angeli cujusque boni, veram infundere spiritualem lætitiam animæ, quam movent sublatâ tristitiâ, & perturbatione omni. Dæmon: cum his è contrario sophisticis argumentis quibusdam, veri speciem præferentibus, lætitiam illam in animâ repertam oppugnare soleat.

SECUNDA, solius est DEI consolari animam, præcedente consolationis causâ, cùm sit hoc proprium Creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere, trahere, & mutare. Causam verò præcedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostræ quicquam objectum est, quod ejusmodi consolationem causare ex se possit. TER-

TERTIA, quoties præceſſit conſolationis cauſa, auctor ejus, poteſt exiſtere tam malus Angelus, quàm bonus: ſed ad fines tendunt contrarios: bonus quidem ut anima in boni cognitione, & operatione magis proficiat; malus autem ut malè agat illa, & pereat.

QUARTA, id moris eſt ſpiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans ſeſe, cognitis pijs animæ votis, primum obſecundet, mox indè ad perverſa ſua deſideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas, ſanctaſque hominis cogitationes ſequi, & fovere, at deindè in occultas fallaciarum ſuarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

QUINTA, ſedulò, & accuratè excutiendæ ſunt cogitationes noſtræ circa principium, medium, & finem ſuum: quæ tria ſi rectè ſe habeant, Angeli boni argumentum eſt cogitationes illas ſuggerentis: ſin autem per diſcurſum mentis aliquid offertur, vel ſequitur, quod ex ſe malum ſit, vel avocet à bona, vel ad minus bonum impellat, quàm anima prius quærendo ſequi decreviſſet, vel animam ipſam defatiget, angat, ac perturbet, ſublatâ quæ prius aderat quiete, pace, & tranquillitate; evidens tunc erit indicium auctorem eſſe cogitationis ejuſmodi ſpiritum malignum, utpotè utilitati noſtræ ſemper adverſantem.

SEXTA, quoties côntingit in aliqua ſuggeſtione deprehendi hoſtem ex cauda ſua ſerpentina, id eſt, ſine malo, quem ſemper nobis inſinuare ſtudet; tunc plurimum juvat, revolvere diſcurſum totum, & notare quid ab initio prætexuerit bonæ cogitationis, & quomodo præcedentem ſpiritualis guſtus ſuavitatem, animi ſerenitatem ſenſim amovere, ac venenum ſuum infundere tentarit, ut per hujuſmodi experimentum cognitæ illius fraudes facilius deinceps caveantur.

SEPTIMA, eorum, qui promovent in bono ſalutis, animis ſe inſinuat uterque ſpiritus diverſo modo, bonus quidem léniter, placidè, ac ſuaviter, ſicut aquæ ſtilla in ſpongiam illabens: malus verò duriter, implacidè, & violenter, cum ſtrepitu quodam, ſicut imber decidens in petram: illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppoſitum prorſus uſuvenit: cujus ſanè diverſitatis ratio eſt, quatenus Angelo utrilibet ſimilis eſt, vel diſſimilis animæ ipſius diſpoſitio: ſi enim contrariam ſibi eam alteruter

Spiritus invenerit; cum ſtrepitu, & pulſu, qui facilè adverti queat, ei ſe conjungit: ſi verò conformem; tamquam in propriam, & apertam domum ſubit cum quiete.

OCTAVA, quoties ſinè prævia ulla cauſa conſolatio nobis adeſt, quamvis ei tanquam divinitus immiſſæ, ut ſupra dictum eſt, nihil fallaciæ ſubeſſe poſſit; debemus tamen attente, ac ſolicitè diſtinguere præſens conſolationis tempus à proximo ſequente, in quo anima fervet adhuc, & favoris divini nuper accepti ſentit reliquias: nam poſteriore hoc tempore frequenter accidit, ut vel ex habitu, diſcurſu, & judicio proprio, vel ex boni, aut mali ſpiritus inſtinctu aliqua ſentiamus, vel deliberemus, quæ cum ab ipſo DEO citra medium non emanent, ſolerti indigent diſcuſſione, priuſquam recipiant aſſenſum, vel in opus veniant.

DE VIA UNITIVA.

MEditationes, ſeu contemplationes glorioſiſſimorum Myſteriorum Chriſti Domini generant in anima lætitiam ſpiritualem, quâ anima ſuaviſſimè perfunditur, & in ea proficit per ulteriores hujus Viæ Meditationes. Lætitia autem hæc, ſeu gaudium ſpirituale cum puriſſimum ſit, non in rebus corporeis, ſed in ſpiritualibus ſitum eſt, neque tam de ipſis DEI donis, quam de DEO cunctorum largitore, & origine concipitur: præcipuè autem gaudere decet hominem ſpiritualem de Chriſto DEI Filio, qui non ſolùm Salvator, ſed & ſanctificator noſter eſt, & à quo omnes cœleſtes gratiæ, & favores tanquam à fonte in nos derivantur, atque etiam in Angelos derivati ſunt.

Sciendum autem eſt lætitiam, & gaudium ſpirituale locum ſuum habere in ſpiritu, hoc eſt, ſuperiore parte animæ, per quam ad DEUM, qui eſt finis noſter ultimus, & beatitudo noſtra ordinamur, ejus legem, ac voluntatem attendendo, & faciendo.

Hoc

Hoc gaudio ſpiritus noſter à Chriſto ornatus, cuncta ſoli DEO adſcriber, & non ſuis meritis, ac proindè in eo ſolo gaudet. Innititut ergo hæc ſpiritualis lætitia non noſtris meritis, aut ſolis DEI donis, ſed DEO quem unicè diligit, atq; ſperans lætandum in eo ſe parans exclamat cum Regio Pſalte: *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.* Quæ lætitia, ſeu gaudium ſpirituale, quandoq; etiam in corpus ipſum redundat, juxta illud Pſalm. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.*

Hâc lætitiâ ſpirituali anima feliciter ſauciata, tandem liqueſcere incipit in DEO, ac ſibi perfectè mori, ſuamq; voluntatem ita divinæ quam perfectiſſimè unire, DEOq; in omnibus acquieſcere, ac ejus paternæ diſpoſitioni in tantum, ut acquirat quandam homo in anima diſpoſitionem, quæ illum facit promptiſſimum ad ſubjiciendum ſe in omnibus, quæ DEUS in ipſo, & per ipſum, & circa ipſum ſecundum ſuum beneplacitum vult operari, nec amplius deſiderat ſuam in aliquo fieri voluntatem, ſed eam in Divinam transformat. Hæc autem tunc peraguntur, quando anima, neque ſcit, neque vult amplius quidquam velle, ſed omninò ſine ulla exceptione ſe tradit, ac mancipat beneplacito providentiæ Divinæ, ut non amplius compareat voluntas, ſcilicet animæ, ſed ſit abſcondita cum Chriſto in DEO, in quo vivit non amplius quidem illa, ſed DEI, & Chriſti voluntas vivit in ea, juxta illud: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Ex ſupradictâ lætitiâ præcipuè oritur promptitudo ad omnia opera, fortitudo ad vincendas difficultates, jubilus, & mentis jucunditas, juxta monitum Apoſtoli: *Gaudete in Domino, iterum dico gaudete &c.* Oritur agilitas ad opus inchoandum, facilitas in exequendo, & ſuavitas in omnibus, etiam in Cruce ipſa pro DEI voluntate perferenda, ex quibus omnibus ſimul ſumptis exurgit Amor DEI, quo anima DEO unitur affectiva ſcilicet unione, hoc eſt, quæ fit per affectum noſtrum, ad DEUM, nimirum quando omnia noſtra bona DEI eſſe bona volumus, & ipſi communicare, & ipſius viciſſim ineffabilia bona noſtra eſſe cupimus, ſeu nobis communicari illa affectamus, ita ut eandem felicitatem nobis DEUM amantibus, & DEO noſtro amato cupiamus, juxta exemplum D. Auguſtini, qui tantum in amore Divino paſſus eſt exceſſum, ut ſi ille eſſet DEUS, & DEUS Augu-

ſti-

ſtinus, vellet, ut DEUS eſſet DEUS, & ille Auguſtinus. Dicitur autem hæc Via Unitiva, Status Perfectorum, quia homo inducitur ad perfectam cum DEI voluntate unionem, per quam anima unicè adhæret DEO Creatori, & Salvatori ſuo.

DIES NONUS.

Dedicatur Suffragijs impendendis pro animabus in Purgatorio.

MEDITATIO DECIMASEPTIMA.

De Reſurrectione Domini.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

SEquens Meditatio, ſeu Contemplatio nos ad gaudendum cum Chriſto de Immenſa Reſurrectionis ejus gloria ſuaviſſimè invitat, ut qui de calice Paſſionis ſacræ Salvatori compatiendo bibimus; jam de torrente quoque voluptatis Chriſti ſtillas ſaltem ab ejus ore ſacro defluentes valeamus deguſtare, aut alacritatem in DEI ſervitio acquiramus, ſcientes, quia hilarem datorem diligit DEUS. Dic ergo anima: *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo.*

MEDITATIO DECIMASEPTIMA.

De Reſurrectione Domini.

Oratio ut ſupra. fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Repræſentabis quomodo corpus jaceat exanime in ſepulchro, licet ſibi habeat unitam Divinitatem.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Propones tibi animam ad limbum deſcendentem, ex eoque SS. Patres educentem, ac ſimul B. V. M. mortem filij ſui deplorantem.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Petes gratiam, ut particeps fias gaudij B. V. & SS. PP.

PUNCTUM PRIMUM. Conſidera, quomodo die tertia illuceſcente

ſcente, quæ iam à quâter mille annis expectata eſt à toto orbe, hora à morte Chrjſti 40. victoriosa ejus anima à limbo ſeſe efferat, indeque vinctos educat &c. *Confringens portas æreas, & vectes ferreos, exſpolians principatus, & poteſtates, quos traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Coloſ. 2. ℣. 15. His velut glorioſiſſimus triumphator ſtipatus deducit ad ſepulchrum, demonſtrat corpus innumeris affectum plagis, agunt gratias tanto amori pro quorum redemptione unica tantum guttula ſuffeciſſet. Et ecce in ictu oculi corpori ſacratiſſimo unitur divina anima, abſtergit omnem livorem, ac immoto ſepulchri lapide, infractoque ſigillo Glorioſus Salvator plenus decore, & Majeſtate è ſepulchro egreditur. Dimittunt ſe Angeli è cœlo, canunt alternis choris magno triumphatori in Iſrael. *Dominus regnavit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Pſal. 92. ℣. 1. *Cantemus Domino glorioſe enim magnificatus eſt equum, & aſcenſorem dejecit in mare, fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, Dominus quaſi vir pugnator, currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare,* Exod. 15. ℣. 1. Conjunge cum his gratulantis affectum, & dic ex animo.

A F F E C T U S.

AVe millies, ſalve millies Dive Phœnix, quàm ſpecioſus è mortalitatis tuæ cineribus renaſceris; ſalve Sol Juſtitiæ, quàm ſerenus è mentibus Paſſionis tuæ exoreris. Salve potentiſſime triumphator, ſub cujus pedibus peccatum, dæmon, & mors jam devicta gemit. Ego amo te mi Salvator. O utinam, utinam univerſus mundus agnoſceret, & amaret te.

PUNCTUM SECUNDUM. Perpende quòd glorioſa Chriſti vita perfectum fuerit vitæ ſpiritualis exemplum, juxta illud Pauli: *Quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus* Rom. 6. ℣. 4. Sicut ergo *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam,* Luc. 24. ℣. 28 Ita pariter nemo unicus ſecundùm ſpiritum victurus eſt, antequam omnibus ijs ſit mortuus, quæ mundus amat, & ſenſualitas amplectitur. Quapropter opus eſt, omnes corporis ſenſus externos, omnia membra, phantaſiam, appetitum, animæ potentias ita moderari, ut nunquam quidquam admittas, quod culpabile ſit, & reprehenſionem mereatur. Noli in intellectu locum dare ullis mundi

regulis, politicisq; mundanæ sapientiæ principijs, in voluntate ulli cupiditati quæ non recta in DEUM tendat, noli præcipiti aliquo impetu abripi ad ea, quæ speciem etiam boni præsefe- runt. Ede, bibe, dormi, quia necessitas, & quia voluntas DEI id exigit. Ita vive, ut omnis tua actio, & operatio non ex natu- rali quadam propensione, sed ex gratia, & Spiritu DEI proce- dat.

A F F E C T U S.

FRustra aspiras Anima mea ad vitam Religiosam, si necdum mortua es mundo, & desiderijs carnis tuæ. Nomen quidem in hoc usque tempus habuisti, *quod vivas*, sed verè mortua fuisti. Exurge itaque, ac vitam tuam ita age, ut deinceps non moriaris.

PUNCTUM TERTIUM. Sanctus Paulus scribit Rom. 6. ℣. 9. *Christus resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit DEO. Ita & vos existimate vos mortuos quidē esse peccato, viventes autē in Christo JESU Domino nostro.* Propter quam causam Christus in Resur- rectione sua linteamina quibus involutus fuit, in sepulchro re- liquit, neque surrexit, ut Lazarus qui è sepulchro prodijt liga- tus manus, & pedes institis, Joan. 11. c. 40. ℣. iterumq; mortuus est, ut tu nempè vitam tuam spiritualem, sine ulla prorsus in priores noxas recidiva, in te ipso conserves. Abjice prorsus à te omnem feralem vitæ prioris amictum, cujusmodi noxiæ sunt consuetudines, suspectæ familiaritates, verbo malæ omnis mali occasiones. Nazareis non solùm interdictum erat, ut vinum non biberent, sed ne quidem quidquid de uva exprimitur, imò nec recentes uvas. Num. 6. ℣. 4. *Noli peccare post veniam,* monet D. Chrysost. *noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolore post cu- ram, molestius hominem sordidari post gratiam. Servo pejor est, qui patro- num post datam libertatem offendit.*

A F F E C T U S.

PEssimæ vitæ mors pessima, si ergo Anima mea mortua semel es peccatis, ut quid ultra in easdem te præcipitas, imò im- mergis peccatorum consuetudines. Vivere vis, vive DEO, & noli ampliùs mori. Peccati occasio est vitæ tuæ spiritualis ex- stinctio. Seriò vitam emenda, & constans cum DEO persiste.

PUN-

PUNCTUM QUARTUM. Rumina 4. dotes gloriæ, quibus corpus Christi gloriosum dotavit Divinitas, nempè claritatem, immortalitatem, seu impassibilitatem, agilitatem, & subtilitatem. Congratulandum est Salvatori nostro ob istum sacrati corporis decorem, gratias refer æterno Patri, quod Filij sui luctum in gaudium converterit, ut ipse testatur Psal. 29. *Convertisti planctum meum in gaudium, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea.* Et quandoquidem Christi corpus eo gloriosius nunc est, quo plura in hac mortali vita pertulit, ideoque & tu corpus tuum ad varios labores, & molestias pro Christo offer. Præcipuè verò da operam, ut quatuor dotes gloriosi corporis in vita tua spirituali eluceant. Dos claritatis, per quam veritatem fidei, DEIq; voluntatem semper agnoscas, item verùm loquaris, ac luceas *bono exemplo coram hominibus.* Dos impassibilitatis, quæ te in lætis, & tristibus, prosperis, & adversis, quasi sine sensu efficiat. Dos agilitatis, quæ te promptum reddat, & alacrem, ad omnem DEI voluntatem, & nutum, uti & Superiorum. Dos denique subtilitatis, vi cujus omnia divini servitij impedimenta, ac præsertim respectus humanos summè noxios generose pessumdes, & prorsus extermines.

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

O Pater Amantissime vidi, quam lamentabili Filium IESUM tuum deformari passus es tempore Passionis crudelitate. Nunc verò Eidem, ut Filio dilecto tradidisti, luminosum, & gloriosum corpus, dotibus æternitatis exornatum, impassibile videlicet, subtile, clarum, & immortale. Verè *circumdedisti me lætitia,* cum vultu Ejusdem Salvatoris mei. Precor proinde te, miserere mei, da ut luceam, da ut claream coram hominibus lumine bonitatis, ac modestiæ. Subtilis sim, & agilis quæ tuæ sunt voluntatis. Nihil mihi obsistat, nihil me obtenebret, nihil me retardet ab executione mandatorum tuorum, sed ut purus, tibique consimilis vivam in omne ævum amabilis, & beatus Spiritus.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Lectio Thom. Kemp. lib. 3. cap. 37. 55. & 61. Ex Hagiophil. dissert. de vocatione Regil. fol. 427. Ex Directorio cap. II. de Via unitiva, fol. 89. Ex Statut. de Officio.

Tessera. *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi quia Dominus suscepit me*, Psal. 3. Vel: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara*. Psal. 29.

D E V O T I O.

CHaritate proximi te perfusum esse Asceta, non dubito. Hæc etenim cura Eccles. 17. lege divina nobis imperata est, ubi *mandavit unicuiq; de proximo suo*. Proximum autem non intelligo alium, quam animam quamcunque purgatorijs flammis subjectam, hujus tibi cura, hujus patrocinium, hujus sollicitudo tuæ incumbit conscientiæ, utpotè, quæ viam merendi egressa, solis aliorum suffragijs eliberari potest. Dein secundum D. Thomam gratior est oratio pro defuncto, quam vivo verba ejus sunt hæc: *Magis acceptatur suffragium pro mortuo, quam pro vivo, quia magis indiget, cum non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest*.

Hinc diligens esto in lucrandis pro earum eliberatione meritis, & inprimis applica, aut applicari adlabora tremendum Missæ sacrificium, de quo S. Gregorius: *Multum solet animas, etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare*. Cujus verò emolumenti, vel unicum sit sacrum, ex subsequenti historiola intelliges. Fuit non nemo, qui licet vitam Religiose traduxisset, nihilominus suo Sodali à Matutinis horis in æde Sacra precanti, se in conspectum dedit: conjectus sum inquit ad annos quinos denos in purgatorium carcerem, & vincula. Eja propter sacrificio me redime. Igitur sequenti luce pro illo ad aras fecit fusius lachrymis, & corde magno. Hinc secunda nocte rursum se defunctus videndum obtulit, gratesq; cumulatè egit. Hist. PP. Domin. p. 5 c. 4.

Secundò, succurre Indulgentijs quibuscunque obvenientibus, ac possibilibus.

Tertiò precibus: fuit non ita pridem in Hispanijs civis Vallisoletanus, qui pro more habuit toties precationem Dominicam, & Angelicam salutationem fundere quoties cœmeterium pertransiret, opportunum ab hoc animæ senserunt subsidium, quæ pariter eidem auxilio fuerunt. Dum enim hic nocturno tempore per cœmerium properaret: ecce repentè inimicorum strictis cingitur gladijs. Quid ageret hic unus contra tot? hæret anceps, ast subitò remotis monumentis armati manes numero ma-

magno è terra prodeunt, grandique perculsos horrore grassatores illos in fugam egerunt. P. F. Hieron. Gratian. Carmel.

Quartò, præsta auxilium per eleemosynas, fecit hoc pietatis opus Judas Machabæus.

Quintò, per corporis afflictiones, S. Dominicus tertio singulis diebus flagello in se sæviebat: primo quidem, ut pro suis ipse peccatis satisfaceret: deindè, ut proximis iratum DEUM placaret; ac demùm tertiò, ut animas vindicibus flammis eriperet. Surius in vita.

Acerbissimis etiam pœnis spontè susceptis DEUM animabus propitium reddebat Ludgardis. Quare Maria Ogniacensis dicere solebat: Sub cœlo neque fortior, neque constantior peccatorum, & animarum Patrona est, quam Ludgardis. Surius in vita.

DIES NONUS.

Ejusdem intentionis.

MEDITATIO DECIMAOCTAVA.

De Apparitione B. V. M. S. Magdalenæ, & SS. Apostolis.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

PRæbet hæc consideratio exuberantiorem materiam gaudij, ubi ostendit B. V. MARIAM ingenti lætitia perfusam ex visione dilectissimi Filij sui, uti & S. Mariam Magdalenam, & SS. Apostolos. Docet quoque fidelem animam non die, non nocte quiescere debere, donec inveniat IESUM (si fortè eum per peccati labem amisisset è corde suo) ejusque consolatione à mœroribus relevetur. Secundo instruit cum magna fiducia ad Christum recurrere tametsi contigerit nos gravi eum peccato offendisse, sicut fecit Petrus, qui eum fœdè denegaverat, attamen seposito pudore, inebriatus gaudio ad Christum cucurrit memor

benignitatis ejus. Tertio modum exhibet videndi IESUM, si fores videlicet sensuum nostrorum fuerint ad creaturas clausi. Sic verò peragitur.

MEDITATIO SECUNDA.

De Apparitione B. V. Mariæ, S. Magdalenæ, S. Petro, & SS. Apostolis.

Oratio Præparatoria.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Repræsentarê Domunculam B. Virg.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Animo revolves S. Magdal. Christum quærentem, Confusum Petrum, & Mirantes discipulos de ejus Resurrectione.

PRÆLUDIUM TERTIUM. Illuminari desidera, ex his omnibus SS. Mysterijs.

PUNCTUM PRIMUM. Primam visitationem, & apparitionem voluit Christus facere Beatissimæ V. MARIÆ, quæ vehementiùs inter reliquos Sanctos, & Sanctas ejusdem mortem deflevit, tenerrimoque cordis dolore summè SS. Passionem memorata est, & ecce illà die cum altiori contemplationi, pijsque de Resurrectione desiderijs esset intenta, dicendo fors verba illa: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara.* Apparet Gloriosissimus IESUS triplici stipatus exercitu, uno Angelorum, altero animarum Sanctarum, tertio corpore glorificatorum, prebetquè se illi videndum cum omni gloria, ut eum videre posset, eoque frui. Secutus est statim suum Ducem illustrissimus ille comitatus Sanctissimæ Virgini applaudens, & congratulans Matrem DEI, & liberationis suæ agnoscens. Ex quo desummendum est, quomodo Christus eos, qui sui causa, & amore afflicti erant, eique compassi, consolatus fuerit, ut discas plurimum tibi gaudij spiritualis accidere sæpius eundo *ad domum luctûs, quam gaudij* sæcularis. Roga eam, ut impetret tibi à Redivivo Filio, 4. dotes gloriæ. Congratulare eidem, & cogita quod *secundùm multitudinem dolorum suorum in corde suo consolationes lætificaverint animam ejus.*

AFFECTUS.

O Quale gaudium Anima mea fuerit dilectæ Matri dum Filium suum oculis videret jam gloriosum, quem non ita pridem contemplata fuerat veluti leprosum, in cujus corpore non erat

rat à planta pedis usque ad verticem capitis sanitas. Nunc verò rutilat, ut sol. Ah! in quot non ruebat hæc Mater jucundissima oscula, quibus non verbis ei aggratulabunda gratias egit pro redemptione humani generis. Age & tu gratias, Eumque precare, ut tibi gloriam obtineat sempiternam.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera tenerum amorem S. Magdalenæ quomodo intrepida absque metu Judæorum quæritet suum Salvatorem, recedentibus enim cæteris firmiter perstat, sollicitè circumspicit, sepulchrum lustrat, lachrymatur, Angelorum alloquio recreatur unicum dilectum suum ardenter exoptat, ac tandem prima omnium eum reperit. Videt hortulanum, quærit *tulerunt Dominum meum, nescio quo posuerunt eum, dicito si tu tulisti*, instanter quærendum est, quod ardenter amatur, *qui enim perseveraverit usque in finem his salvus erit*, audit vocem MARIÆ, ô quantum gaudium! consuetudinis jam ante habitæ more procidit in genua pedes osculari desiderans, at Christus respondet: *Noli me tangere*, id est, non sufficiat tibi contemplativè solari à me, age & curam proximi; *vade ad fratres*. Dantur lumina Divina viris, ut ea, velut panem frangant parvulis, & proximis ea communicent, quibus ipsi ardent, his enim corroborati non debent sibi soli, sed & alijs annunciare Regnum DEI.

AFFECTUS.

QUi perseveraverit Anima mea usque in finem, hic salvus erit. Nulla est virtus, si huic non sit annexa, *Tolle perseverantiam*, ait Bernardus, nec virtus laudem habebit, nec labor præmium Quærendus igitur est DEUS animo constanti tam in nocte tribulationis, quam lucida die consolationis. Si quæsiveris invenies, quem cum inveneris, tene, nec dimitte.

PUNCTUM TERTIUM. Apostoli auditâ Resurrectione Christi currunt ad monumentum, Petrus nempè, & Joannes ille alius discipulus; nuncij à mulieribus accepti veritatem experiri volunt, non retinentur aliorum non credentium exemplo. Attendunt non quid agant alij, sed quid prudenter agendum; currebant autem duo simul, amor IESU eos excitabat ad cursum: *Hic nescit tarda molimina*. Qui amat divina, volat ad illa. Currisnè tu, an serpis in divinis? vis progredi, ama, tantum proficies, quantum amabis. Veniens autem Joannes prius ad monumentum,

non

non tamen introivit, honorabat enim in Petro dignitatem corporis, nec considerat in eo, quod Christum negaverit, ipse verò ad crucem constiterit. Disce quid debeas Superiori, licet imperfecto. Interim Petrus videns sepulchrum abijt secum mirans quid factum fuerat. *Visus est Cephæ*, quo pudore suffunditur, quâ verecundia rubet videns Christum, quem tam fœdè denegaverat, & simul cogita miram Salvatoris benignitatem, non exprobrat Petro scelus admissum, sed blandissimè solatur. Disce quâ benignitate peccatorem contritum excipias. Utinam & tu sic confundaris, qui toties Christum denegasti ex vano respectu, & amore hominum.

AFFECTUS.

AMor, si est, operatur multa; si amas Anima mea DEUM, ut quid ergo ab alijs retardaris? Curre, curre, propera, aliorum exempla non considera, Quid dormitas, aut serpis in quærendo DEO. Vis IESUM invenire, alios in servitio Religioso præveni. Non te amoveat anteacta vita, iniqui amores, & mores, perversa conversatio, benignus est DEUS, respiciet te ut Pater, si te exhibueris ut filium.

PUNCTUM QUARTUM. *Cùm serò esset, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit JESUS, Vesperi discipulis ob metum Judæorum apparuit, & dixit eis: Pax vobis. Ego sum, nolite timere.* Luc. 24. Post exantlatos labores, dolores, contumelias, & miserias dulce nomen pacis resonat. Serò tamen venit ad eos, quia serò de fide resurrectionis disposuerunt, ubi enim non est dispositio, ibi tardat DEUS cum gratia sua venire. Quia tamen fores fuerunt clausæ, venit IESUS. DEUS non intrat in cor humanum, si portæ sensuum non sint obseratæ, in his enim cordibus dissipatus est spiritus, ubi sensus non sunt custoditi, ubi ultro, citoque permeant creaturarum affectus, mundi vanitates, & fluxa gaudia. Inspice nunc portas cordis tui, quibusnam pateant, quàm verò benè obseratæ, quàm facili, ac levi reserantur clavi. Vis, ut intret animam tuam DEUS, ut in eodem tibi adferat pacem, id est, tranquilitatem conscientiæ, & pacem, custodi sensus tuos, etiam oculos, *ne videant vanitatem, ascendit* (enim) *etiam mors per fenestras.*

AFFE-

AFFECTUS.

QUisquis IESUM habere desiderat, is sensibus suis januam claudat, non habitant in eodem corde mundus, & cœlum, homo, & DEUS, solitudo, & multitudo, silentium, & colloquium. Quid igitur anima mea agendum. Claude ob amorem tui IESU amantissimi fores sensuum tuorum, intra in cubiculum tuum, & sic ora Patrem cœlestem tuum. Non pateant mi benignissime DEUS posthac aures meæ vanis rumoribus, oculi periculosis aspectibus, os iniquis sermonibus, verum Tu solus cor meum occupa, mecum solus habita, sic vivam, & non moriar.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scriptio. Lectio residua.

Asceta. Vesperi priusquam te cubili concredas, si non placeat aliqua corporis mortificatione, libeat saltem precibus animas defunctas adjuvare, orando aut Psalm. *De profundis*, vel *Miserere*. Hoc amoris in pias animas testimonium præscripsit S. Franciscus Xaverius alicui è Societate in hæc sequentia verba: Singulis noctibus domos (plateas) urbis obambulans commendabis suffragijs viventium animas defunctorum in Purgatorio existentium.

Hautinus memorat in luculento suo opere Anno 1640. impres. cum approbatione Othonis Episcopi Azotensis Vicarij Gener. Trevir. ubi anima per preces cujusdam è Purgatorio liberata, promisit se à DEO velle illi impetrare gratiam ad præcepta DEI observanda, velleque se illi diligenter in extremo vitæ agone assistere. His opus habiturus es, fac ergo tibi eas amicas, sed quæso, mei quoque vivi non obliviscere.

EXAMEN CIRCA TRIA VOTA PAUPERTATIS, CASTITATIS, ET OBEDIENTIÆ.

CIrca Paupertatem. Primò. Læto, patientique animo ferre defectum rei alicujus, quæ nobis aliquo modo necessaria videretur.

Secundò. Sese etiam rebus necessarijs indignum reputare.

Tertiò. Curam nimiam, & superfluam rerum necessariarum rejicere in divinam providentiam DEO, Patri pauperum confidendo.

Quartò. Res ſuperfluas, ſi nobis offerantur repudiare.

Quintò. Erga res noſtris uſibus conceſſas, non vehementer affici, neque anxiè timere, ne nobis auferantur.

Sextò. Non habere ſepoſita curioſa, aut delicata, qualia eſſent fructus, dulciaria, & cætera ejus generis, aliquo prætextu, qui nobis blandiatur.

Septimò. Oblivíſci commoditatum, quas habuimus.

Octavò. Nullam in veſtibus ſingularitatem deſiderare.

Nonò. Non curare res pulchras, elegantes, affabrè factas, & exquiſitas, ſive in imaginibus, libellis, Roſarijs, numiſmatibus, aliaquè ſupellectile.

Decimò. Non averſari res viles, ſive quod tritæ ſint, ſive materiæ humilioris, imò cogitare, tales nobis deberi, & tùm demùm nos rectè agnoſci, quandò ſic pro merito tractamur.

Undecimò. Amare pauperes, ijſque libenter ſtipem, & charitatem erogare juxta facultatem nobis à Superiore conceſſam.

Duodecimò. Singulis menſibus excutere ſemel cubiculum ſuum, ut videatur, num aliquid ſit ſuperflui, & contrarium paupertati.

Circa Caſtitatem.

Primò. Non converſari cum perſonis ſexûs differentis ex inclinatione naturæ, quæ ubique te quærit, etſi ſub ſpecie boni, aut obſequij ſpiritualis.

Secundò. Non contrahere amicitiam cum quibuſdam, propterea, quòd juvenes blandi, benè veſtiti, & jucundi ſint convictûs.

Tertiò. Abſtrahere ſe à colloquijs, & aſpectibus, qui motus cauſant inordinatos, & teſtantur cor eſſe amore captum.

Quartò. Devitare occaſiones occurrendi, videndi, aut tangendi objecta, quæ ineptas cogitationes ſuggerere poſſent.

Quintò. Abſtinere à verbis amorem teſtantibus, etiam inter perſonas paris ſexûs, cùm nullum iſta uſum habeant, niſi ut accendant flammam, quæ tam facilè, quàm vellemus, extingui non poterit.

Sextò. Nunquàm proferre verbum puritati contrarium, ſive occultè, ſivè duplicis ſenſûs, ſeu tale, quod ſpeciem minùs honeſtam poſſet animo imprimere.

Septimò. Non loqui de forma, de venuſtate, de alijs corporis dotibus, de blanda affabilitate alicujus, hæc enim cor caſtum emolliunt.

Octavò. Privatim eam ſervare decentiam, quaſi in oculis virorum gravium eſſemus.

Quoad Obedientiam.

Primò. Promptè exequi, quod præcipitur ſine oblocutione, ſed generoſe, & humiliter.

Secundò. Obtemperare etiam naturâ repugnante.

Tertiò. In eo, qui aliquid mandat DEUM agnoſcere, eique tanquam Chriſto obſequi.

Quartò. Paratum eſſe ad obediendum in omnibus, in quibus manifeſtè peccatum non apparet.

Quintò. Obedire etiam Superioribus, qui eſſent vitæ flagitioſæ.

Sextò. Diſpoſitionem voluntatis noſtræ, rerumque aliarum ad nos ſpectantium integrè committere Superioribus, & accipere velut à manu DEI, quidquid de nobis conſtituerit.

Septimò. Ad minimum Superioris nutum obedire.

Octavò. Et in ijs libentiùs, quæ difficiliora abjectioraque videbuntur.

Nonò. Obedire cæcè nullâ mandati ratione inquiſitâ, ſubjectoque judicio proprio, judicio Superioris.

Decimò. Apud animam ſuam, & contra quoſcunque tueri, quidquid fuerit de alijs, aut nobis ordinatum.

C O N S I D E R A T I O.

IN negotijs mundi cura eſt diuturnior, labor operoſior, fructus minor, & conſecutio ejus, quod intenditur difficilior. In DEI ſervitio, & proſecutione Amoris ejus, prorſus contrarium obſervatur: adeò verum eſt, quòd omnia ſint vanitas, præter amare DEUM.

Diverſi amantium, DEOq; ſervientium Ordines ſunt: In primo numerantur, qui illum amant, neque ullius rei pretio inducerentur, ut eum lethali peccato offenderent, verùm hic conſiſtunt, & peccatis venialibus, ubicunq; ſeſe offert occaſio, liberè, & ſine cura indulgent. In ſecundo ſunt, qui etiam peccata venialia, non admittunt niſi per ſubreptionem, adeò illa

abominantur, ſed de paſſionum, & appetituum mortificatione parùm ſunt ſolliciti. In tertio, qui frangunt quidem, & domant omnes paſſiones ſuas, nullâ neglectâ, verùm ad ſublimium, ſolidarumq; virtutum acquiſitionem non connituntur. In quarto de niq; ſunt ij, fideles, egregij, & perfecti amantes, qui nihil omittunt eorum, quæ ad virtutis conſummationem, amplificationemq; divinæ gloriæ faciunt, quantacunque contentione, & diſpendio opus ſit, nunquam dicentes ſufficit, ſed ad ulteriora ſemper ſe promoventes. In quo Ordine tu conſiſtis? quid? etiamnum in primo? Vah! iſtud eſt, quod Angelus tuus, & B. Virgo obſtupeſcit.

Quod rebus omnibus bonitatem, & elegantiam conciliat, Amor DEI eſt: ita nihil deformiùs animâ hoc amore deſtitutâ, neque quidquam amabiliùs corde veri, ſincerique amantis. Atque hoc adeò verùm eſt, ut DEUS pluris faciat unam animam illius amore flagrantem, illique ſoli placere cupientem, quàm reliquam totius univerſitatem naturæ.

Erras, anima mea non in magnis ſolùm actionibus, quæq; ſpecioſæ ſunt, amoris divini magnitudo reperitur: etiam in parvis, humilibus, & ſecretis exiſtit. Amor inaurat, & amplificat omnia, & IESUS laudibus extollit viduam illam, quæ duo æris minuta contulit, & ſilentio præterit Salomonem, qui ſubductis rationibus, pluſquam bis mille milliones auri ad templi ſtructuram contribuerat.

Semper audivi, cogorq; credere, ſcire neminem poſſe, utrum in Amore DEI, ejuſq; gratia vivat: & illud eſt, quod me ſollicitum tenet atque anxium. Optimè quod theſaurus abſconditus eſt Amor: talis illum poſſidet, qui poſſidere ſe neſcit. Tantùm exiſtimemus nos nihil hactenus dignum DEO feciſſe, & vehementi deſiderio optemus illum amare, & de virtute progredi in virtutem; ſentiant alij, quod libuerit, ego ajo, illic ſedem eſſe Amoris.

Nullius rei majori cupiditate teneor, quàm ut æſtimem me aliquo ferri in DEUM amore. Nullam cupio ex ulla creatura voluptatem, ſed tantùm ex Creatore. Omnis mea delectatio eſt, ut delectetur DEUS. Utinam millies millena millia talium cordium haberem, quale fuit cor Sanctiſſimæ Virginis, & omnes

mnes omnium Beatorum virtutes unus possiderem! ut amarem, & servirem DEO meo omnibus illis cordibus, & exercitatione omnium illarum virtutum! istud demùm esset illum amare, & certissimum indicium Amoris, sub hac flamma latentis.

DIES DECIMUS.

Dedicatur Sanctis Patronis.

MEDITATIO DECIMANONA.

De Ascensione Domini.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

IN hac Meditatione ultimum sumimus gaudium eorum, quæ in terris à Christo suis amatoribus exhibita sunt. Habet autem non nihil tristitiæ admixtum. Gaudemus siquidem intuentes Salvatorem glorioso triumpho in cœlum ascendere, certaminisque sui gloriam in cœlis capescere. Ex quo inardescit anima Christo gestiens aggaudere. Considerans verò à se, & à fideli turba Salvatorem attolli, & corporaliter separari, non nihil mæroris concipit. Attamen se reflectens ad illa verba: *Vado parare vobis Regnum, & mittam Paracletum, qui vos consolabitur*, amplius indulget gaudiosis affectibus. Formatur verò sequentibus punctis.

MEDITATIO DECIMANONA,

De Ascensione Domini.

Oratio Præparatoria ut supra. fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginaberis montem Oliveti supra Jerusalem, & in eo cum B. V. catervam discipulorum expectantem Ascensionem Christi.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Roga Christum, ut cor tuum secum accipiat, ne imposterum terrena sapiat.

PUNCTUM PRIMUM. Considera, quàm amabiliter, & suaviter suos soletur Christus, dicens: *Nolite tristari, neque turbetur cor vestrum. Expedit enim vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus*

 non

non veniet ad vos. Amabant Apostoli Christum adhuc carnaliter, & consequenter se ipsos, Christus autem volens eos ad ipsum solum spiritum deducere, ne aliquis in illis permaneret mixtus amor, dicit *expedit,* inordinati enim affectus impediunt Spiritum Sanctum. *Spiritualis gratiæ plenitudinem, occupata mens non admittit,* S. Bern. serm. 6. de Ascens. *si autem abiero mittam eum ad vos.* Quasi dicere velit, quiscunque propter me abrenunciat consolationi carnali, accepturus est spiritualem, quid mirum ergo si necdum tibi sapiant spiritualia, qui inescatus es in mera carnalia. Eduxit autem eos foras in Bethaniam in montem Oliveti, Act. 1. Cogita, qui fuerint Apostolorum Christum comitantium affectus, quæ gaudia dolore mixta, quæ valedicentium lachrymæ! quæ, & quàm suavia vulnerum oscula, quæ preces? &c. montem Oliveti subit ad cœlos ascensurus, ibi suam passionem est auspicatus, ut intelligas adversitates esse principium gloriæ. Non ibis ad gloriam per delicias mundi, sed dic cum S. Theresia: *Aut pati, aut mori.*

AFFECTUS.

SOlanè esse tu desideras Anima mea, quæ IESU tuo non præbeas desideriorum tuorum piam in cœlos societatem. Dolor quidem te premit absentiæ ipsius, ast expedit tibi ita separari, quæ quandoquidem, & ipsius oblita, vanis te ab eo sejunxisti amoribus. Aggratulare IESU tuo, dicito : Perge, ô mi dilecte Sponse, in thalamum gloriæ tuæ. Quiesce tandem à dextris Patris tui, qui tam diu pro salute humani generis vigilasti. Perge, mi IESU, perge, & requiesce.

PUNCTUM SECUNDUM. Considera, quomodo sensim è terra se elevans, ac nobilissima hominum, & Angelorum corona circumdatus, in cœlum feratur, ideoque *elevatis manibus benedixit eis.* Luc. 24. Quibus verbis benedixerit non constat, verisimile tamen est, eum dixisse : *Pater Sancte , Serva eos in nomine tuo, quos dedisti mibi, ut sint unum, sicut & nos, sicq; videntibus illis elevatus est,* Actor. 1. Audi voces, queis totus triumphantis Ecclesiæ exercitus Regi suo accinuit: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem* Apoc. 5. ℣. 12. Comitati sunt eum affectibus, quisquis dixisse creditur, *trahe me post te. Et nubes suscepit eum*

ab

ab oculis eorum. Gratissimum oculis obiectum, & unicam lætitiam cordis nubes involvens eripuit oculis, solet quandoque DEUS intellectui nostro quandam interponere nubem, ne nimium contemplationi deditι obliviscamur opera charitatis, hæc transit, tantumodo non oriatur nubes de exhalantibus passionibus, & terrenis affectibus tuis.

A F F E C T U S.

JLlam quam largitus es benedictionem, ô pijssime Salvator, discipulis tuis in ascensu benedicens eis ut unum sint, eosque servet in tuo nomine Pater cœlestis: hanc mihi per eos precari fecisti, utpotè quos Orbis moderatores constituisti. Erit mihi hæc in tuam benedictionem pia reflexio, quoties à meis Superioribus mihi impertita fuerit: Ah! trahe me post te, largire, ut nubes semper lucida per considerationem gaudiorum cœlestium me suscipiat ab oculis vanitatum, ne terrenis his affixus, hæream in limo profundi peccatorum meorum.

PUNCTUM TERTIUM. Perpende illa verba Davidis: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Psal. 67. Comitatæ namquè sunt ascendentem IESUM sanctæ è limbo animæ, amoris vinculis captivatæ, & augustum reddiderunt triumphum. Meminerunt angustiarum suarum; vident, & gaudent se liberas. Adjunge te illi comitatui. Aspice, quàm *dilecta tabernacula Domini virtutum,* & sordebit tibi tellus. Aspira ad libertatem filiorum DEI qui vinctus teneris tuarum cupiditatum catenis. Denique disce Religiosum virum non debere solum, & sine comitatu cœlum ascendere, sed secum prædas animarum orco ereptarum deducere. Quæ tibi hactenus cura? quam diligentiam adhibuisti in lucrandis animabus, aut è vinculis peccatorum, aut purgantibus flammis, parvam, aut nullam. Emenda, & seriò operare.

A F F E C T U S.

O Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Ah! quam sordet mihi terra, dum cœlum aspicio. Quam gloriose ascendis Victor mortis, carnis, & mundi, ducens tecum captivitatem SS. Animarum, Hæc mea mens est, hoc meum desiderium ascendere si non corpore, mente saltem in cœlum, ubi tu es in dextera DEI Patris tui sedens, eaque solum, quæ sursum sunt ad te, non quæ super terram unicè desiderans. Absit tuam glo-

gloriam intrare, quin amore tui, animarumque allectus, eas mecum deducere non quam affectuosissimè adlaborem.

PUNCTUM QUARTUM. *Cùmq; intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Act. 1. Quid statis attoniti? quid decussatis in pectore manibus, cœlum suspicitis? Mementote vos Pastores animarum esse constitutos, revertimini, & *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Certum est, divinas revelationes, cœlestia solatia, & animi illustrationes donari nobis, non verò nostri gratia, sed & aliorum, ut nempè per hæc tanquam media ad agnitionem, & amorem divinæ bonitatis plurimos adducamus. Quia dictum est nobis: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. 10. Ad rem enim D. Chrysol. *Ut infantis Regij nutrices cibis pascuntur delicatis, ut purissimum lactis fontem alumnis suis propinent, sic Supremus ille Rex verbi sui ministros, licèt immeritos propter filiorum suorum alimoniam cælestis suæ mensæ cibis pascit, & nutrit, quo delicatius illos lactare, & pascere valeant.* Gratias age, & omne studium, ad animarum salutem, & lucrum impende, verissimum enim est, quod scribit S. Thom. *Etsi detrimentum aliquod in dulcedine contemplationis patiuntur propter exteriorem occupationem, quia proximis serviunt, hoc ipsum perfectionem divinæ dilectionis attestatur.* Opusc. 18. de perfect. vitæ spirit. c. 18.

AFFECTUS, CUM COLLOQUIO.

ACceptus jam es ab oculis corporis mei, non tamen animæ, ô mi Triumphator amabilissime. O quam exoptata, & jucunda erit mihi vox in auribus meis, quando à te audiam: *Euge serve bone intra in gaudium Domini tui.* Melior enim est dies una in atrijs tuis super millia. Gaudebo ego tunc, & exultabo in DEO IESU meo. O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. O mi Salvator, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. O quando tibi dicam: inveni quem diligit anima mea, teneo eum nec dimittam. Accipe cor meum ad te, noli me dimittere à te, sed ut vivam tecum in æternum. O beata Æternitas.

Pater noster. Ave Maria. Anima Christi. Recollectio. Scri-

ptio

ptio. Lectio ex Thom. Kemp. l. 3. c. 52 53. & 54. Ex Directorio c. 11. §. 5. fol. 99. Ex Hagiophila dissert. de felicitate, qui se totos DEO tradunt fol. 481. Ex Regulæ explanat. de modo observandæ Reg. fol. 108.

Tessera. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI.* Alia: *Trahe me post te, curram in odorem unguentorum tuorum.* Vel: *Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

DEVOTIO.

PAucos invenire est inter Christianos, taceo Religiosos, qui non specialiori ferantur devotione in aliquem Sanctorum, & Sanctarum, sive ille sit nominis, sive Patriæ, sive Religionis, aut alius quiscunq, Beatorum. Et licet omnes Cœlites promereantur sincerum affectum, & amorem, nihilominus aliqui à nobis secernendi sunt, quibus præ cæteris pietatem impendamus.

S. Joannes Chrysost. magno ferebatur amore in S. Paulum Apostolum, ita & S. Thomas. S. Theresia tota fuit S. Josephi. S. Eduardus habuit S. Joannem Evangelistam. S. Catharina Genuensis S. Benedictum coluit. S. Catharina Senensis S. Agnetem. Alij denique SS. alios. Ad hoc igitur pietatis genus Ascetá suavi te ratione inducere volo, quos mecum imitari deinceps adlaborabis.

Hi Sancti mortalibus sibi devotis in hora mortis opem ferunt singularem. Vir ille Sanctus ex Ordine S. Francisci, quem Cherubinum Spoletanum vocant in hoc supremo articulo S. Hieron. auxilio recreabatur, qui eodem tempore 60. BB. animarum millia secum adduxit, quæ viri illius concionibus ad frugem revocatæ, ac salutis compotes fuerunt.

Jlli in supremo judicio amicorum suorum causam agunt. Expertus est Castellanus ille nomine Ladislaus, qui jamjam ob demerita sua à strictissimo Judice ad inferos applicandus erat, suffragijs tamen, S. Patris nostri, vitæ reditum accepit ad agendam pœnitentiam pro delictis, finitisq; 30. diebus piè obijt in cœnobio S. Laurent. Jlli diem mortis indicant. Jlli nos instruunt, ac in rebus dubijs erudiunt. Ita cum S. Thomas Aquinas locum ex Isaia Propheta explicare non posset, à S. Paulo fuerat edoctus.

Jlli à magnis perturbationibus nos eximunt; quod S. Nicola-

us testatur, qui charo clienti suo, B. Bernardo Mentonio in re planè ancipiti adfuit. Ex his advertis Asceta quantopere expediat uni, vel pluribus è divis majori studio se addicere, restat igitur, ut voluntatem tuam denuò ad eos colendos accendas, eosque summa pietate quotidie honores.

DIES DECIMUS.

Ejusdem intentionis
MEDITATIO VIGESIMA.
De beneficio Vocationis ad statum Religiosum.

PARÆNESIS MEDITATIONIS.

MEditatio subsequens instruit Religiosum hominem gratum debere semper existere DEO suo ob magnum sibi collatum Vocationis beneficium, per hoc enim pleniorem accepit prædestinationis suæ certitudinem secundum illa Divi Apostoli verba: *Quos vocavit, hos & prædestinavit.* Agendæ erunt proindè diebus singulis devotissimæ gratiarum actiones, peragenda quoque certa mortificationis genera, ut DEUS his placatus robur suum addat cœleste, ad dignè ambulandum vocatione nostrâ, quâ vocati sumus. Formatur autem sequentibus punctis.

MEDITATIO VIGESIMA.

De beneficijs vocationis ad fidem Christianam, & statum Religiosum.

Oratio ut supra. fol. 8.

PRÆLUDIUM PRIMUM. Imaginare numerum mortalium in tenebris degentem, & cæco furore in DEUM Creatorem suum debacchantem, dæmonijs ad amussim famulantem, & pro præmio æternas luentem pœnas, vel certè luiturum, vesana ignorantia, idola, animalia, & sidera pro DEO colentem.

PRÆLUDIUM SECUNDUM. Ora DEUM, ut suam lucem extendat super nos, ad videndam magnitudinem gratiæ suæ, quâ nos visitare dignatus est.

PUN-

PUNCTUM PRIMUM. Conſidera, quòd miſericordiſſimus DEUS, ab æterno ſtatuerit te, præ tot millionibus hominum, ante, & poſt Chriſti adventum, defectu luminis veræ fidei, æternum pereuntibus, ad veram fidem perducere, & in ſancta ſua Eccleſia dilectiſſimis filijs aggregare. Idque ex Paterno gratuitæ dilectionis affectu, per ſpecialem meritorum Chriſti applicationem. Et quidem ob hunc finem, ut tam ſancti corporis Eccleſiæ militantis, vivum nunc membrum in terris efficeret; & deinde triumphantis in cœlis glorioſum. Agnoſce, tam ſpecialis, gratuitæ, & æternæ, erga te tam ingratum beneficentiæ magnitudinem. Vide quantum DEO obligatus ſis, ut per vivam fidem, vitam tuam exornes ijs virtutibus, quibus dignum efficiaris membrum tam ſancto corpori, atque viciſſim, ad æternam DEI dilectionem, ardentia in te deſideria excita.

A F F E C T U S.

O Anima mea inter creaturas omnes ingratiſſima es, ſi tanti beneficij magnitudine non tangeris. Si non agis, ſi non operaris propter quod in mundo es. Nullæ deinceps erunt aliæ cogitationes, quam quæ ad te, ô mi DEUS, dirigentur.

PUNCTUM SECUNDUM. Conſidera, quàm efficaciter paterna DEI providentia, ad hoc veræ fidei lumen in tempore te adduxerit, dum præ innumeris, ab hoc beneficio excluſis, tali loco, inter Chriſtianos, tali tempore, quo fides Chriſtiana per mundum propagata eſt; ex talibus parentibus naſci fecerit, & talibus Magiſtris inſtituendum commiſerit, à quibus non tantum per baptiſmum regeneratus ablueréris Chriſti ſanguine, ſed etiam ad clariorem ſemper Myſteriorum fidei, & rerum ad æternam ſalutem neceſſariarum cogitationem adducereris, & ſuaviter informareris ad mores dignos Chriſtiano homine. Revolve grato animo catenatæ hujus ex gratuita DEI erga te indignum dilectione profectæ beneficentiæ magnitudinem: & debita reverentia venerare paternam DEI providentiam ab æterno pro tua felicitate, & gloria æterna adeò ſolicitam.

A F F E C T U S.

QUid feciſti Anima mea, ut hoc tibi beneficium conferret DEUS? & nunc quantum illi debes propterea? an non conſtantem animi gratitudinem, ſervitium, & amorem. Aſt! hactenus

nus parùm te cogitatio ſimilis monuit, moneat impoſterum, etiam nunc obſtupeſce ejus erga te bonitatem.

PUNCTUM TERTIUM. Conſidera te hactenus ſpecialiſſimo beneficio à DEO Patre amantiſſimo in vera fide conſervatum fuiſſe ſtabilem præ innumeris, ne in hæreſim, ſchiſma, aut apoſtaſiam labereris per parentes, pravos Magiſtros, aut perditos ſocios, aut ne gravioribus contra fidem permiſtis tentationibus ab ea ſpontè excideres. Imò corroboravit, auxitq; donum fidei in anima, & copioſam conceſſit gratiam, ut vitam ageres conformem fidei, quo tanto ſanctius exiſteres membrum in militante Eccleſia, & in triumphante tanto glorioſiùs. Admirare immenſum æterni, & gratuiti divini amoris affectum, & effectum ad interminabilem tuam felicitatem, & gloriam, & decerne, quâ gratitudine, amore reciproco, zelo perfectionis vitam poſthac velis inſtituere.

A F F E C T U S.

O Anima mea decerne apud te qua impoſterum ratione vivere ſtatuis. Quis eſſes? quo veniſſes? niſi gratia DEI prævenita ſtabilita fuiſſes in numero electorum, repone igitur tanto beneficio ſolida propoſita, & heroicas reſolutiones.

PUNCTUM QUARTUM. Conſidera, quanta tibi acceſſerit gratia per hanc vocationem. Primò, ut filius DEI nomineris, & ſis. Secundò, ut evitatis inferni tormentis, inenarrabili gaudio fruereris in perpetuas æternitates aſſociatus Angelorum agminibus. Tertiò, denique admirare bonitatem ſuper menſura coagitata, conferta, & ſupereffluente tibi collata in vocatione ad ſtatum Religioſum, ubi uberiora ſunt media adipiſcendæ ſalutis, rariora perdendæ, augendæ gloriæ infinita, prout S. obſervavit Bern. ſcribens: *Homo in Religione vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, quieſcit ſecurius; irroratur crebrius, purgatur citius, moritur confidentius, præmiatur copioſius.* Hæc altè tuæ menti imprimè, gratias age, & vive deinceps religioſe.

AFFECTUS, ET COLLOQUIUM.

TAmetſi Anima mea ex millibus electa ſis, numerumque impleas beatarum animarum, quæ à DEO vocatæ ſint, nihilominus pertimeſce, & vide ut juxta monita Divi Petri: *Per bona opera certam tuam vocationem, & electionem facias.* Ipſe etenim Chri-

ſtus

ſtus loquitur Matth. 22. *Quod multi ſint vocati, pauci verò electi.* Omnem quapropter operam nava, cunctum adhibe ſtudium, ne vocationis tuæ patiaris detrimentum. Sint tibi in amore Regulæ, memoria teneat tui Ordinis Statuta, adimple vota, perfice tua bona propoſita. Dicito ad IESUM: O mi Redemptor amabiliſſime, ſiquidem tu elegiſti me, da gratiam, qui dediſti mihi velle, da mihi etiam perficere, denique concede, ut eam, & fructum Vocationis meæ afferam, & fructus iſte maneat in æternum.

Pater noſter. Ave Maria. Anima Chriſti. Recollectio. Reſidua Lect. In ſignum gratitudinis Ora *Te DEUM laudamus.*

D E V O T I O.

PErveniſti Aſceta tandem ad decimum diem itineris tui per Sacrum Deſertum. Quid aliud nunc neceſſe eſt, quam ut inceptam veſpertinam pietatem tuam hodierna quoque die proſequaris. Quapropter non graventur oculi tui, neque lumina tua claudantur, priuſquam renoves omnia propoſita tua Crucifixo pectori tuo admoto forma ſequenti, cum devoto Thom. Kemp. Adjuva me Domine DEUS in bonis propoſitis, & fac me nunc hodiè perfectè incipere, quia nihil eſt quod hactenus feci.

DEUS, qui das humilibus gratiam, & ſuperbis reſiſtis, da mihi operi manuum tuarum gratiam ſinceri contemptus, ac deſpicientiæ meæ, quo tuum honorem unicum in omnibus, & per omnia ſemper purè quæram. Qui vivis &c.

Vel Ora Roſariolum conformantis animæ cum voluntate Divina.

Ad Crucem: *Domine, quid me vis facere?* Domine, quid me vis pati? Domine, quid me vis fieri? *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.*

O R A T I O.

Reſignationibus noſtris quæſumus Domine placare ſuſceptis, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per Dominum noſtrum &c.

Loco Pater noſter, nil aliud ſumendum, quam id ipſum, cum ſingulari tamen reflexione ad illa verba: *Fiat voluntas tua.*

Loco Ave Maria, dic cum S. Gertrude apud Bloſ. *Non mea, ſed tua voluntas ſiat, Mi amantiſſime JESU.*

EXAMEN CIRCA MODESTIAM.

REferunt nonnulli ad defectum modeſtiæ actiones quaſdam, quæ potiùs ſunt imperfectiones à natura, vel mala conſuetudine comparatæ, quàm veræ immodeſtiæ; potiùs civilitati, & decori, quàm modeſtiæ, quâ jam Aſcetam adornare ſtudeo, adverſantur. Tamen ut ad illa omnibus attendat, paratus ſum aliquam etiam harum facere enumerationem. Hauriri ex omnibus utilitas poteſt, emendando quidquid aliquam ſpeciem habet immodeſtiæ.

Erunt, qui in communi conſeſſu tibias decuſſabunt, qui genu alterum alteri imponent; qui ſpuent, aut tuſſient indecorè ad nauſeam aliorum, qui idem verbum centies iterabunt; qui tricies in die veterem fabellam, aut quòd audierint, recantabunt; qui cæcorum continuò, & ſine cauſa ridebunt : qui cæcorum inſtar vociferabuntur; qui quartâ horæ parte duodecies oſcitabunt, nullo formato Crucis ſigno; qui artus diducent more vitulorum; qui pruritu quodam ſua ſenſa manifeſtandi, aliorum ſermonem interpellabunt, garrientque continuò; qui ungues dentibus demordebunt : qui nares emungent digitis, & ſine ſtrophiolo, aut ineptè mucum conſiderabunt, quaſi de excluſo unione ſolliciti; qui perpetuò manum habebunt naſo, aut mento admotam, ut ſordes, aut barbam vellicent; qui res, dictaque ſua ſemper exaggerabunt, qui os audientibus tam propè admovebunt, quaſi oſculaturi, aut halitum afflaturi; qui ſemper erunt tremuli labijs, & inquietis manibus, quas ad ſtabilem, decentemque geſtum firmare non poſſunt.

Reperies alios, quibus ſit aſtricta frons, & moroſa vultûs compoſitio, qui omnium dictis, factiſque obtrectabunt; qui ubique cantillabunt, qui ſecum loquentur, qui tam fixo obtutu in vultum tuum intuebuntur, ut terrorem incutere poſſint, qui ſupercilia indecore demittent: qui pedibus reptabunt, veluti de ſepulchro ſolliciti ſenes; qui ita gradum ſuſpendent, quaſi matri ovis incubanti inſidiarentur; qui ſic properabunt, quaſi accenſa domus feſtinato illorum ſubſidio indigeret, qui ſemper circumferent oculos, etiam inter bibendum, qui cubitis innixi comedent, & horrendum dentibus ſtridorem excitabunt.

Quan-

Quando, assero instituendum esse de modestia examen, non intendo, ut in has inurbanitatis actiones oculos conjicias, scio enim ab illis plurimum abesse mores tuos, id solùm volo, ut ad sequentes modestiæ notas te discutias.

Primò. Non huc, illucque leviter caput jactare.

Secundò. Continere oculos suos, & demissos potiùs, quàm alio situ.

Tertiò. Obtutum in eos non defigere, cum quibus loquimur.

Quartò. Sereno esse vultu, non verò frontem, aut nasum corrugare.

Quintò. Labia nec nimis comprimere, nec nimis diducere.

Sextò. Manuum gestus, neque vasti sint, neque affectati.

Septimò. Incessus sit moderatus, nisi necessitas, aut charitas aliquam festinationem postulet.

Octavò. Tota corporis compositio gravis sit, & decora.

Nonò. Sermo modestus, & humilis.

Decimò. Ita quoque incumbendum est, ut maxima decori ratio habeatur, ac proinde non sine indusio, sed sic, ut qui nos observaret, nullam aliam partem corporis, quàm faciem oculis expositam videret, & eo situ ut non supini, aut proni, sed alteri incubantes simus, tum amore pudicitiæ, tum modestiæ ubique observandæ gratiâ.

CONSIDERATIO.

FRustra aspiras ad unionem cum DEO, intimosque illius favores, nisi oratio tibi cordi sit. Frustra, inquam, sine hac, quæ familiare cum illo est colloquium, & gratiosa communicatio, quæ clavis est cœlestium donorum, omniumque quæ desiderare, aut sperare possumus; quæ thesaurus est, quem tanto affectu Sancti quæsivêre, ut propter hunc abdicaverint sese omni humanâ conversatione, aut in deserta loca se abdendo, aut noctes, diesque consummendo, ut cum tanta Majestate tractarent. Verùm, si nos capit aliquod hujus exercitij desiderium, nihil meliùs, promptiusque est, quàm adire Venerabile: hic enim rogantibus, adorantibus, suscipientibus, & sæpe visitantibus, ea orandi ars instillatur. Et fateor me nunquam vidisse hominem orationi deditum, qui non devotissimè huic Augustissimo Sacramento afficeretur; neque affectum huic Amoris compendio

dio, qui non intimè per Amorem DEO conjungeretur.

DEI aſſertum eſt, ad perfectionem requiri, ut quis coram DEO, atque in ejus præſentia ambulet. O DEUS! poſſumnè ad votum meum te magis habere præſentem, quàm ſi adſim tuis altaribus, & ad adorandas illas ſpecies accedam? aut hic, aut nullibi divinæ præſentiæ exercitium diſci poteſt.

Inculcatur mihi, ut ſæpè Angeli mei Tutelaris meminerim, & quòd ſi amplectar affectu illos, qui nos cuſtodiunt, inflammandus quoque ſim amore Domini Angelorum: Ah! iſtud eſt, quod animitùs poſtulo; volo igitur colere Angelum meum, volo conſtantem illius habere memoriam, illum alloqui, cum illo familiariter converſari : minùs facere non poterit, quàm ut me reddat Amantem mei IESU, & famelicum panis Angelici: occultis me ſtimulis excitabit, ut ſalutatum eam ea loca, in quibus quieſcit, eò ſe mihi comitem adjunget, & interea dum aget cum cæteris Angelis, qui adorandam hanc Aram turmatim ſtipant, patietur, ut cum eo ſalutis meæ negotia pertractem.

Ne quidquam laboras te DEO tradere, fruſtra ad illum recta tendis, niſi priùs MARIAM diligas, illius Matrem. Hoc unicum, & Supremum arcanum eſt ad devinciendum ſibi IESUM. Repudiat DEUS, neque vult noſtros Amores, ſi eorundem non eſt particeps MARIA. Et nunquam filium aliquem agnovit MARIA, quin eundem quoque IESUS in filium adoptârit. Et quo major eſt in Matrem amor, eò erit etiam in Filium ardentior. Tantùm dilige MARIAM, & illicò ſenties inflammari te amore ejus quem unicè diligit : & quia ſtatim in cœlum evadere non potes, ubi legitimis ardoribus tuis ſatisfacias, poteris difficulter ab Altaribus avelli, ubi illius Filius, & unicus amor depoſitus eſt.

Nil magnum, nihil admirandum in hoc mundo eſt: quidquid ego æſtimo, quidquid admiror, eſt adorandus ille orbis locus, ubi in Aris noſtris IESUS abſconditus requieſcit. Sæpius audivi, ſublimes animos nihil admodùm magni reperire, extra DEUM, & perplacet, quòd nihil magnum ſit, nihil dignum animis affectibuſque noſtris, niſi ille.

In vita devota, & ſpirituali, tam exiguum nihil eſt, quod non mereatur incrementum gratiæ, quodque in cœlo inæſtimabili

gloriæ

gloriæ pretio non compensetur; unicum suspirium, unicus in cœlum aspectus, unica oculi propter DEI amorem à creatura aversio, ah quid tandem erit! quanta igitur merces actuum amoris, adorationis, fidei, spei, & obsequiorum DEO, sub panis speciebus abscondito, oblatorum, & cultus ipsius personæ exhibiti? profectò, nunquam adibo illum, quin tales actus, magno numero cumulatos, illi exhibeam, atque præsentem.

DEVOTA EPISTOLA.

Ad quendam regularem scripta à Religiosissimo Thoma Kempensi pro conservatione spiritus.

ISta sunt præcipuè necessaria, & utilia, pro conservatione devotionis, & pace cordis; pro profectu virtutum, & ædificatione aliorum : scilicet solitudo, silentium, opus manuum, oratio, lectio, meditatio scripturarum, paupertas, sobrietas, oblivio patriæ, fuga sæculi, quies claustri, visitatio chori, & custodia cellæ. Cum his observationibus fit homo compunctus, internus, & devotus. Nimia occupatio in externis magnum impedimentum est interiorum, & infrigitat à cœlestibus. Duo sunt, quæ valdè nocent Religiosis, quòd tam parùm illuminantur: quia sunt nimis multiplices in exercitijs corporalibus, non considerantes ad quid omnia ordinata sunt, & quia non examinant sollicitè interiora sua, quibus affectionibus moventur ad virtutes, vel ad vitia, & quantum distant ab unione cum DEO habenda. Nam tanto quis DEO unitur, & plus illuminatur: quantò à mundi curis magis elongatur. Multa non sunt homini necessaria scire, nec habere: sed curiositas, & avaritia trahunt ad multa animæ nociva. Placeat tibi propter Christum simplex vestitus, & sobria mensa, nec quæras prætiosa ornamenta. Christus amat cor purum, non cappam pulchram, neque casulam sericeam mira varietate contextam. Non optes, ut Monasterium tuum abundet divitijs, & altis ædificijs; sed ut floreant omnes Fratres bonis moribus, & virtutibus sanctis. Et si alicubi pulchra, & sumptuosa videas, excusare potes, & tolerare pro honore DEI, & reverentia loci; sed non debes similia affectare. Quando relinquis amicos propter Christum, & non quæris consolationes hominum, sed permanes in cella faciendo opus tu-

tuum, tunc aderit tibi gratia cœlestis illuminando cor tuum, & gaudebunt super te Angeli sancti, & custodient te ab impugnationibus inimici, ne dominetur tibi, sed viriliter agas, & precibus eis resistas. Quæ ad sæcularem scientiam, & reputationem humanam trahunt, omnia caveas; sed semper humilia sectare, sicut fecerunt IESUS, & B. V. MARIA.

Attende quoque vitam, doctrinam, & patientiam Sanctorum; qui habuerunt veram sapientiam, per quam soli DEO placere studuerunt. Pius Dominus non derelinquit electos suos in mundo afflictos: sed tollit quandoque eos tempestivè de laqueis superventuris, ne deteriora mala incurrant, quæ forte tolerare nequirent. Debes sollicitè cogitare de defectibus tuis, & sæpè ingemiscere, ne vincaris, vel seducaris. Ora primò pro proprijs miserijs; deinde pro alijs amicis, vivis, & defunctis, sicut fraterna charitas exigit. Plus tamen confidere debes de DEI gratia, & misericordia, & Sanctorum meritis, quàm de tuis precibus, & actibus bonis. Habeas firmum propositum te emendandi; & si centum annis posses adhuc vivere, cogita quòd propter nihil aliud velis vivere, nisi ut DEO possis perfectiùs servire.

Contra tria vitia oportet quotidie certare, quæ raro plenè vincuntur, scilicet: contra superbiam, contra gulam, & acediam. Superbia latet in corde, & multipliciter extollit stultum in propria æstimatione sui, apparet sæpè in vestitu, aperitur in voce, notatur in incessu, & levitate morum. Gula grave est vitium: quæ si refrænata non fuerit, facit hominem dissolutum, pigrum, & ad spiritualia ineptum, inducit somnolentiam, & excitat libidinem. Acedia multum retrahit à spirituali exercitio, & attenta oratione, & sacræ lectionis studio: quærit carnis mollitiem, fugit laborem, odit cellam, diligit fabulari, delectatur vanis rumoribus, attædiatur interesse divinis. Qui non certat viriliter adversus tria vitia, parùm proficiet in bona vita, & citò cadet ad alia pejora mala, ex istis nascentia. Dilectio DEI probatur magis in contemptu sui, & omnium terrenorum, quàm in pulchritudine verborum. Plus DEUS delectatur in humili prece contriti cordis, quàm in alto clamore curiosæ vocis, semper humilis invenit gratiam, & qui se dat ad simplicem obedientiam, optimam habebit conscientiam, & quietissimam vitam. Sæpe

pè est occultæ superbiæ signum, desiderare trahere magnam devotionem, vel revelationem. Potiùs te judica divina consolatione indignum.

Nam de defectibus tuis, atque excessibus cogitare magis placet DEO, & utilius est tibi, quàm indagare de cœlestibus secretis. Quamdiu non es verus humilis, & totus ab intra mortificatus, ita quòd laudibus non delecteris, nec maledictis movearis, non expedit tibi altiora perscrutari. Christus sæpè compescuit Apostolos, de multis futuris, & subtilibus materijs loqui. Cur ergo tu vis scire, quæ excedunt scientiam tuam. Munda conscientiam tuam, & cave præsumptionem, & stude divinam discere, & facere voluntatem, non propriam. Sic enim orat Sanctus David, magnus cognitor cœlestium secretotum: *Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.* Quicquid ergo humiliorem te non facit, & ad majus beneplacitum DEI non tendit, noli cupere, nec curare; quia DEO obligaris, mundam servare conscientiam, & sæculi abjicere vanitatem. Verba Domini nostri IESU Christi, cum magna diligentia attende: & Davidicos Psalmos sæpè rumina; quia in illis est vera sapientia,& salus tua. Passionem Christi, & vulnera IESU, in corde tuo quasi in libro scribe; & totam spem tuam in meritis Christi, & Sanctorum precibus pone. Quid enim nos fragiles, agere possumus, nisi quòd multùm humiliemus nos sub potenti manu DEI, & coram ipso prostrati veniam petamus? Resistendo vitijs, & insistendo bonis exercitijs, concupiscentiæ, & passiones paulatim minuuntur in nobis, & virtutes amplius roborantur; ita ut homo delectetur in eis frequenter, & maximè si honorem DEI, & non suum commodum, vel pacem propriam quærat; quia aliter non esset purum, nec verè virtuosum. Nam qui ad DEUM omnia opera sua purè non refert, superbus est & vanus. Quicquid boni homo facit cogitare debet, quia donum DEI est, & non se reputet inde.

Nam tenetur DEO regratiari, & magis se humiliare, ne imputetur sibi ad peccatum, & graviùs de ingratitudine judicetur. Omne opus bonum in DEO factum, gratiam majorem meretur, lætificat mentem, & delectat operantem, quia DEUM habet adjuvantem. Qui desiderat à DEO consolari, taceat de-

mundanis, oret sæpiùs, & raro sit foris. Omne enim peccatum generat tristitiam, corrumpit naturam, & meretur pœnam. Attende donum DEI in alio, & dilige illud, sicut verè est donum DEI. Erit autem tuum, si diligis illud tanquam tuum: semper tamen totum ad DEUM humiliter referendo, ne perdas bonum malè utendo. Tunc malè uteris bono, si inde extolleris, & vanè gloriaris. Tunc bene uteris malo, si inde humiliaris, & contristaris, & per pœnitentiam emendas, nec te superbè excusas. Status hujus vitæ debilis est, & plenus periculis, ideò ad DEUM semper currendum est, & orandum, ut nos custodiat, & adjuvet in omni luctamine, & opere bono usque in finem.

STATUTA QUINDECIM DEVOTO *necessariò observanda.*

HÆc sequentia nisi observes, neque nomen, neque habitus Religionis tibi prodest: examina igitur quotidiè te, quantùm in illis profeceris, & quotidiè spiritum tuum exhortare, te deprehende, urge, coge, propositumq; tuum indies renovandum observa.

Primùm est, ut peccata tua semper ante oculos tuos habeas, & vehementi cordis contritione ante faciem DEI erubescas, nihil sentiens de te taliter, quàm omnium te esse vilissimum, negligentissimum, omnium etiam consortio, & aspectu indignissimum. Quare de te ipso desperans in sola misericordia DEI firmiter confidas.

Secundùm. Ut de omnibus alijs benè sentias, ita ut non solùm non judices, vel obloquaris illis, verum etiam adeò sis simplex, ut neque cogites, neque intelligas alicujus defectum, tantùm occupatus circa proprios defectus.

Tertiùm. Nulli unquam irascentis vultum, nulli indignantis animum, nulli denique tristitiæ, aut malevolentiæ affectum exhibeas, sed cor quietum, pacificum, humile, vultumque serenum, silentio, maturitate, atque honestâ verecundiâ ornatum.

Quartùm. Omnibus te ad serviendum humilem, hilarem, promptumq; exhibeas.

Quintùm. Ut à locutione otiosa, à jocis, à levitatibus (salvâ tamen charitate fraterna) perfectam tibi indicas abstinentiam.

Sextum. Ut oblocutiones, vituperia, objurgationes, & alias id genus molestias, non tamen patienter, quàm gaudenter sustineas, sciens à DEO in virtutis exercitium hæc tibi missa. Itaque suscipito ea cum desiderio, resignata ad hæc voluntate, nihil animo contradicens.

Septimum. Ut omnem curiositatem, puta sciendi, & ea, quæ necessaria non sunt habendi, in te mortifices, hoc unum satagens, quomodo proficias.

Octavum. Ut cogitationes quascunque extra DEUM ducentes, in ortu ipsarum repellas: nullum itaque patiaris medium inter te, & D E U M, semper, aut pro beneficijs gratias agens DEO, aut pro delictis gemens, & veniam petens.

Nonùm. Ut pro nulla re sollicites, præsertim dubia, ubi ignoras, utrum DEO placeat, nec ne.

Decimum. Ut in omnibus eventibus non mireris, aut dicas quare hoc evenerit, sed omnia de Divinæ providentiæ manu suscipias cum gratiarum actione, indubitanter sperans, *quoniam, ipsi est cura de te, & omnibus.* 1. Pet. 5. nec aliquid evenire permittet, nisi propter bonum nostrum, licet nos non intelligamus.

Undecimum. Ut præter cibum communem, qui omnibus fratribus ministratur, nihil unquam desideres, quamdiu sanus es, nihil requiras, & si illum non potes comedere, gratias age DEO, quia dedit tibi licitam occasionem abstinendi, nihil igitur aliud procures, nisi ex jussu præsidentis, neque quamdiu sanus es admittas aliud. Medicinalia, præsertim dubia (nisi aliter fuerit jussum à præsidente) ex toto sint tibi interdicta, sed quoscunque defectus, & molestias corporis elige propter DEUM, & salutem animæ tuæ, & propter observantiam Ordinis, & cavendum scandalum. Gratias age DEO, quia ipse tibi imposuit disciplinam, quam tu (licet desideres) imponere non auderes, quia tui juris non es.

Duodecimum. Ut de nulla re ad te non pertinente ex necessitate, te intromittas, neque loquaris, neque interroges, maximè de factis Officialium, & defectibus fratrum: de absente nihil omninò loquaris.

Decimum Tertium. Obedientiam, Reverentiam, & dilectio-

nem ex syncero corde semper impendas Superioribus tuis, benè sentiens de ijs, nec aliquo modo patieris coram te dici aliquid sinistri, aut mali de illis: similitèr nec de alio fratre, & proximo.

Decimum Quartum. Ut ubique requiras, & mentis, & corporis solitudinem, nunquam otiosus: studeq; ut mundana cuncta tibi vilescant.

Decimum Quintum. Statuta, & quæ spectant ad statum tuum diligenter observa, loco, tempore, modo, cæterisque circumstantijs sicut oportet. Consuetudines etiam alias peculiares, bonas, nisi magnâ ex necessitate haud postponas, eas namque intermittere, aut leviter, sæpiusvè mutare, ubi non urget necessitas, inconstantiæ, tepiditatisque est signum, & ruinæ proximi. Oportet igitur necessariò, ut arma tua non abjicias, si non vis periclitari in tentationibus.

QUATUOR ALIA PIO HOMINI *necessaria.*

PRimùm est (quod alioqui sæpiùs præmonui) nunquamquè satis inculcari potest, ut omnia quæ tibi eveniunt, quomodocunque, aut undecunque fiant, de manu Domini accipias sine hæsitatione aliqua, quia Dominus sic ordinavit, sic jussit, eritq; ad salutem animæ tuæ, quamquàm id nescias.

Secundum. Sic eidem omnia resignes, & commendes, tam præsentia, quàm futura, ut quicquid fiat, aliud non velis, credens, quod hoc velit Dominus, ut sine hæsitatione, sine cura dicas: *Fiat voluntas tua Domine,* Matth. 6. sive hoc, sive aliud fiat, quid ad me? ita volo sicut tu vis, & non aliud.

Tertium, cogita hoc verbum: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Ideò quidquid alij de te sentiant, quidquid tibi faciant, aut dicant, sit tibi indifferens, quo minùs gravatè feras omnia absque phantasia, aut recogitatione, tacens in silentio cordis, sive videaris utilis, bonus, aut malus. Dic igitur tibiipsi: Nihil hoc ad me, sum qui sum, is sum qui ante oculos Domini sum: scio autem quod vilissimus, & ingratissimus, atque continuò facinorosus in DEI conspectu sim. Hoc neque laudes, neque vituperia hominum mutare possunt. Cur igitur reputari

ma-

magne ô stulte vis cum injuria veritatis? Nihil igitur aliorum æstimationem cura, laudantes te, non te faciunt meliorem, vituperantes non te efficiunt (quàm es) deteriorem. Tace igitur, & voluntate DEO unitus in simplicitate cordis consiste. Non etiam cogites quod de te, hoc illudvè ab alijs cogitetur (neque enim opiniones, cogitationesq; hominum scire, aut prohibere potes) quandoquidem hujusmodi tibi nihil confe- runt, nihil tollunt; arbitrare potiùs quòd benè de te sentiant omnes, quamvis in hoc quod benè sentiant, nimis errent, de quo tu vehementer doleas: æstimare alium quòd malè sentiat de proximo, est malè sentire de proximo, aut judicare illum, propterea cave ne tuos fratres æstimes hujusmodi.

Quartum. Ad omnia quæ extra DEUM sunt, sic te habe, sicut te habuisti, nondum natus puer triennis, aut jam dudum mortuus. De omnibus nihil ad te, unum est necessarium, Luc. 10. de quo semper cogitare oportet, & illi omnia committere, ut neque audire, neque sentire aliquò sensuum, vel cogitare extra teipsum aliquid velis; ex omnibus autem, quæ audis, aut quæ legis, erigere studeas mentem tuam in DEUM, & ea trahas in affectum secundum propositum tuum ad DEUM, nunquam res tam sæcularis, vel tam absurda dici, vel sentiri potest, in qua non invenias aliquid, ex quo elevare queas mentem ad DEUM, applicando ad ipsum quæ audis, ut vel gratias agas, quia bonum providit, aut depreceris malum, quod sustines: nullum enim verbum tam est carnale, quod non habeat, vel applicari possit ad spirituale.

DECEM PUNCTA PERFECTIONIS.

MUlta sanè præclara dicta in diversis continentur libellis, ad quæ ex decem hisce punctis, in decem manuum digitis locandis totius boni seges excrescit. Primò. Vigilanti sedulitate ante Divinam præsentiam semper consistens, solus apud te manebis, ac internus. Secundò. Assiduè perpendes omnia verba, operaque tua, & ea ad DEI honorem diriges. Tertiò. Quæcunque supra te, vel contra te venerint, ijs vicissim cum vera misericordia, & patienti mansuetudine obviare studebis. Quartò. Proprios defectus, non alienos inspicies, & agnosces cum

vera humilitate. Quintò. Non solùm corpore, sed etiam mente, & amore ab universis rebus temporalibus te segregabis. Sextò. D E O semper adhærebis cum æstuanti desiderio, & amorosa conjunctione. Septimò. Christi inculpatam vitam, amarissimam passionem, placidissimos mores, frequenter habebis ob oculos, ut ea, pro tuo virili imiteris. Octavò. Voluntatem tuam semper abnegatam cum amabilissima Domini tui voluntate unies, in tristibus, in lætis, in dulcibus, & amaris, in habendis, & carendis, in vita pariter, & in morte. Nonò. Omnes solicitudines, omnia negotia tua DEO committendo, de manu Domini nudè omnia accipies. Decimò. In omnibus, & pro omnibus tam minusculis, quàm majusculis D E O gratias ages, & laudabis.

DE SEX SEDULITATIBUS, ET DILIGENTIIS.

UT homo in vita spirituali proficiat, ac perseveret sex diligentias facere debet. Primò. Cor suum frequenter ad DEUM elevet, ejusque gratiam, & patrocinium frequenter semper imploret, quoniam à seipso planè potest nihil. Secundò. Si ubi fortè deliquerit, protinus cum magnâ diligentia ad mentem rediens, per veram pœnitentiam, & confessionem ad D E U M studiose iterum se convertat, cum firmo proposito omnia peccata, omnesque peccatorum occasiones evitandi. Tertiò. Rei Divinæ audiendæ quotidiè operam det, idque ex mera gratiarum actione quotidiè enim renovatur nobis amor ille, quo suavissimus Dominus seipsum nobis reliquit in terris. Quartò. Sæpiùs, maximè autem festis diebus se ad sumptionem Sacramenti Eucharistiæ præparet; quod & si semper non accipiat, aut si alioqui parùm ad hoc sit dispositus, nihilo seciùs tamen ad hoc se præparabit, quàm si verè illud esset accepturus, ut inexhaustæ illi Servatoris dilectioni aliquatenus saltem occurrat, faciens quod in se est. Quintò. Magnâ diligentiâ, magnoque affectu ad verbum DEI audiendum, legendumvè (sicut ad verum animæ cibum) properet, quod auditum, vel lectum, studiose revolvens, ita apud sese aliquantisper maneat, perinde, ac si Christi corpus verè manducasset, verbum DEI intra se operari sinens. Verùm enimverò errores istos neotericos, qui sub verbi

bi DEI prætextu nunc passim invalescunt, idque contra fidem, & instituta Ecclesiæ Catholicæ, quæ sponsa Christi est, & basis veritatis, majori studio cavebit, quàm ipsum cacodæmonem, si modò salutis suæ curam aliquam habeat, non est enim nisi una Ecclesia Catholica, una fides per universas mundi nationes dispersa ab exordio mundi ad finem usque duratura, in cujus unitate servandi sumus omnes. Sextò. Omnes societates, & familiaritates omnium hominum, quantumvis Sancti, ac etiam Religiosi sint, qui ei alicubi occasio esse possunt, boni alicujus omittendi, aut sceleris cujuspiam admittendi studiose devitet.

TRIA SUNT JUXTA DIVUM JOANNEM THAULERUM ad proficiendum utilia.

PRimum. DEUM ejusque gloriam, ac beneplacitum te ipso relicto, voluntateq; propriâ posthabitâ, ac contemptâ, purè, ac simpliciter in omnibus intende, ac quære. Secundum. In omni actione, & egressione tua teipsum vigilant erobserva, introspiciens in teipsum, & expendens quàm nihil sis: nec à te ipso recedas, sed cognoscas, quid tractes, & quid in te versetur, quid etiam moveat te, & quare, ut advertas ad quid ex intimo cordis movearis. Tertium. Non occupes animum tuum rebus, aut curis alienis, id est, quæ tibi commissæ non sunt, nihilque judices, aut discutias, sed omnia tibi stent, aut transeant, ut sunt in suo esse, vel in seipsis. Quod bonum est, maneat bonum, quod malum est, sit malum, sed non judicetur, introvertas te igitur, & maneas intra teipsum, auscultans quid intra te tibi loquatur DEUS, & illi semper adhæreas.

DUO ALIA EXIMIA.

PRimum est, ut in veritate parvus, & nihil sis in oculis tuis, sive interiora, sive exteriora tua respicias, & ita semper sine glossa, & sine simulatione ex animo te nihili pendas.

Alterum, ut veram, & puram studeas semper in te habere, & exercere charitatem, non amore illo sensibili contentus, quo afficimur ad DEUM, & ad creaturas, sed nudà, simplici, veraque charitate diligas, quâ ex intimo animæ tuæ quæras, ac intendas DEUM solum.

BASIS VITÆ SPIRITUALIS.

BOni, ac resignati animi basis, ac fundamentum est confidere DEO, ac super ejus bonitate niti, omnia de manu ejus sola accipere, eademque optima sibi esse ex divina providentia intelligere, se ex toto relinquere, & resignare DEO, nemini quærulari, nec ad consolationem aliquam quærendam se convertere, sed Divinum beneplacitum solùm in se semper optare, suam nihileitatem inspicere, quocunque bono, atque terrâ ipsâ se indignum existimare: usque in finem, quamdiu placuerit DEO, quæcunque accidunt, sustinere, & ad majora sustinenda paratum esse, atque in omni pressura DEO gratias agere.

VIRI CUJUSDAM DEVOTI CONTRA VITIA CAPITALIA SENTENTIA, ET DECRETUM.

Contra Superbiam.

UBi cognovi DEUM altissimum pro me extremè humiliatum, nunquam adeò me deprimere potuit homo, quin majori me vilipensione dignum judicavi.

Contra Avaritiam.

Ubi cognovi animam meam nulla re posse satiari præterquam solo DEO meo, miratus sum, si aliud præter ipsum quærere debeam.

Contra Luxuriam.

Ubi cognovi corporis mei nobilitatem, & quod mihi conceditur purissimum corpus Christi sumere in os meum, dignum duxi omnibus viribus, laborare pro perpetua cordis, & corporis puritate.

Contra Iracundiam.

Nulla hominum infidelitas me perturbare potuit dum perpenderem, quàm infidelis DEO meo fuerim ego.

Contra Gulam.

Ubi gustavi cœlestium ciborum dulcedinem, nulla terreni edulij me seducere potuit ingluvies.

Con-

Contra Invidiam.

Ubi cognovi quod DEUS me tantum peccatorem in gratiam receperit, non potui aliquem hominem odisse propter ipsius iniquitatem.

Contra Acediam.

Ubi perpendi quod post brevissimum laborem, æterna conquiritur beatitudo, nimis exiguum arbitratus sum, quemcunque ego toleravero laborem.

Contra omnia vitia.

Cum Dominicæ passionis, & mortis amaritudinem ad memoriam revoco, nihil adeò asperum est, quod non æquanimiter portem.

CAUSÆ ALIQUOT OB QUAS IN IPSIS SACRIS exercitijs non conservetur spiritus.

PRima, quando meditationes non peraguntur cum totali animi applicatione ad eas benè peragendas, quâ non adhibitâ impossibile est meditari benè. Applicatio autem mala in his consistit quando videlicet non præmissa præparatione meditationes exercitans incipit; quando temporis particulas, ejusque determinationem non observat, quando recollectiones, ruminationes, aliaque præscripta oscitanter peragit, quando denique alijs occupationibus licet per se honestis, & licitis sese occupat, &c. qui talis est, nisi miraculosè adjuvetur, tam erit tepidus, & imperfectus, post quàm ante incepta exercitia, sæpè sæpius verò accidit in pœnam peccati negligentiæ ut pejor evadat, quia abusus est Divinâ gratiâ sibi superabundè concessâ.

Econtra verò dum meditationes cum magno fervore, animiquè applicatione persolvuntur, incredibiliter hominem permutant, eique auxilia DEI multiplicant, ita S. Chrisost. homil. 4. in Gen. *Js enim Domini mos est* (ait) *ut quoties videt animam aliquam multo desiderio, promptitudineq; intentam, spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratiâ, & opulentis donis suis locupletet.*

Secunda, est malus usus temporis, nam licet meditationes benè expediat, non tamen reliquum tempus, non diuturnum speret fructum, malè autem est tempus impendere, dum se occu-

pationibus alijs detinet, licet aliundè honeſtis, ut ſunt ſtudijs Philoſophicis, vel Theologicis, multò pejus humanioribus, vel colligendis fructibus pro concionibus formandis.

Tertia, difformitas occupationum, quæ licet inter res ſit SS. Exercitijs debitas, non tamen horæ illius: exempli gratia, quando quis vacat deſcribendis rebus bonis, diſparatis tamen, & non juvantibus ad executionem bonorum propoſitorum in præſenti materia factorum. De qua S. Gregor. Nyſſ. Orat. 3. de Reſurrect. Chriſti. *Quod improprium eſt, & alienum, præterquam quod nihil prodeſt, res eſt inordinata, incompoſita atque abſurda, non ſolùm in ijs orationibus quæ de Religione, ac pietate habentur, verum etiam in externis, & ijs quæ ad mundanam pertinent ſapientiam &c. Quod ſi rebus mundanis res decora eſt ordo, atque ſcientia, multò profectò magis eam obſervari convenit in rebus magnis atque cæleſtibus.*

Quarta eſt, ſi exercitia fiant non eo ordine, quo præſcribuntur, nimirum quando prius accipiuntur, quæ ſunt illuminativæ viæ, dein quæ purgativæ, & hac commixtione trium viarum non poteſt eſſe ſalubris, aut proficuus ſucceſſus exercitiorum, quod inſinuavit S. Ignatius Annotat 20. *Ei qui à negotijs liber eſt, & fructum conſequi ſpiritualem optat quam poſſit optimum, tradenda ſunt exercitia eodem quo procedunt ordine.*

Quinta, quando in ipſo tempore exercitiorum negligitur continuatio propoſitorum factorum. Nam etiam extra tempus exercitiorum ſæpius, ſed breviter reiteranda ſunt firma propoſita per modum orationum jaculatoriarum, quòd plurimum conducere ad conſervationem ſpiritus, docent S. Auguſt. lib. de orando DEUM. S. Thom. Aq. eum citans 2da 2dæ q. 171. a. 2. ad 2.

CAUSÆ ALIQUOT EXTRINSECÆ IMPEDIENTES conceptum ſpiritum in exercitijs.

PRima eſt, ſi poſt finita exercitia non removeantur illa impedimenta, ob quæ antea imperfectè vivebas. Ut ſunt converſationes cum perſonis non ſpiritualibus, vel quia ſunt ejuſdem patriæ, aut ſympathiæ, & complexionis, vel quia ſunt læti, non ſcrupuloſi, vel quia ad Superiores non deferunt defectus viſos, colloquia proferunt faceta, nugis, jocis, cachinis replent omni-

omnia. Vel apud quos est sensuum exigua cura, & custodia, libertas, immodestia in incessu, scurrilitas &c. Hi omnes dissipant spiritum conceptum. Econtra spiritualium amicitia, & sanctorum, bonorumque Religiosorum valdè augent. *Cum Sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*, ait S. David Psal. 17. Salomon: *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit, amicus stultorum similis efficitur*. Proverb. 13. Alibi: *Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque cognoveris observantem timorem DEI*. Eccles. 37. *Revera noxiæ sunt amicitiæ*, inquit S. Basil. tract. 9. quod DEUS non sit author malorum, *quæ cum malitia contrahuntur*. Nam ea est amicitiæ hujus vis, & lux, ut per similitudinem malitiam conjunctis indat. *Ut enim in pestilentibus locis aer attractus sensim latentem corporibus morbum injicit, sic in prava conversatione maxima à nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur*.

Secunda, si ob respectus humanos, & pudorem noxium statim post Exercitia in occasionibus violandarum Regularum, & Legum, & non spiritualiter vivendi, vel ob metum ne irridearis, aut ne pro devotulo, & scrupuloso habearis, nolis abstinere à prioribus levitatibus, vel aliarum Regularum transgressionibus, Ideo frangenda est glacies ab initio, ut apertè ostendas, etiamsi cum offensa proximi, te velle servare Regulam, nullam violare, &c. & sic facientem relinquent te imperfecti, & discoli, imò eo deduces negotium, ut te præsente non audebunt violare, sive ob pudorem, sive ob timorem, ne à te Superiori deferantur. Denique hac tui immutatione fieri poterit, ut etiam illi convertantur, & mutentur in melius. *Justi, & probi, instar fermenti se habent*, inquit S. Chrysost. serm. 3. in Gen. *ut sui similes probos efficiant*. *Sic*, (oratione 6.) *duodecim Apostoli Orbem universum ad se converterunt*.

Tertia, si post Exercitia negligenter Meditationes expedies, non duratura sunt bona proposita, sequentes enim Meditationes, ut ait S. Macarius homil. 40. *Sunt velut ligna nova indies adjuncta, quæ accensum antea ignem conservant, alioquin extinquetur*. *Ex hujusmodi siquidem Meditationibus*, inquit B. Laurent. Justin. lib. de Obed. cap. 28. *ignis Divini Amoris exardescit, & vehementer accendit, ita ut potens sit cunctum mundialis, carnalisque affectus detergere rubiginem*. Quapropter post Exercitia attendendum est ut benè peragantur

tur Meditationes quotidianæ, maximè primo menſe, per hanc enim mentalem orationem fundamentum totius hominis conſervatur, & continuatur, ita S. Bonav. de Med. Chriſti, cap. 13. *Si vis patienter tolerare adverſa, ſis homo orationis, ſi vis tentationes, & tribulationes ſuperare, ſis homo orationis, ſi vis pravas affectiones conculcare, ſis homo orationis, ſi vis lætanter vivere in opere DEI, ſis homo orationis.*

Quarta, lectio librorum ſpiritualium affectui ſubſervientium uti ſunt vitæ SS. Patrum, Thom. Kemp &c. quæ fovent bona propoſita, imò talium lectio eſt medium efficax ad acquirendam ſanctitatem. S. Philippo (qui hanc commendat) ſingulis diebus per aliquot horas perlectæ ſunt à domeſticis ſuis vitæ SS. PP. ſi nullus erat perlegens, ipſe legit, adeoque ſi hæc negligitur, deficit ſpiritus, & evaneſcunt propoſita.

Quinta, converſatio ſpiritualis plurimum conducit, non tamen clandeſtina, nec cum uno ſolo, nec extra tempora, ſed modo cum hoc, modo cum alio ſine ſecretis conventiculis, quos vides abſtinere à fractione Regularum, à cenſuris morum alienorum, præſertim Superiorum, quos vides magis compoſitos, magis recollectos, magis modeſtos, devotos, mortificatos, cum talibus inquam converſatio ſpiritualis plurimum juvat ad conſervandum ſpiritum. *Magnum eſt bonum*, inquit S. Chryſoſt. homil. 36. ad populum, *in conſuetudine bonorum eſſe*. Talis parcialitas bona eſt. Hinc S. Agnes divinitùs edocuit S. Brigit. l. 4 Revel. c. 17. *Sapientem DEI dilectionem eſſe, quando plus diliguntur illi, qui videntur in Amore DEI ferventiores.* Quos autem magis diligere debemus, cum ijs plurimum converſari neceſſe eſt. Ideo S. Pachomius inter monita ſuis ante mortem data, hoc etiam reliquit in vita c. 51. *Cum illis converſemini, qui DEUM metuunt, & poſſunt vobis prodeſſe converſatione ſancta, & animabus veſtris ſpiritualia præbere ſolatia, ſive ſint coætanei, ſive natu minores &c Plurimum prodeſt*, dicit S. Ambroſ. lib. 2. offic. c. 20. *unicuiq; bonis conjungi. Adoleſcentibus quoque utile eſt, ut claros, & ſapientes viros ſequantur: quoniam qui congreditur ſapientibus, ſapiens eſt.*

Quinta eſt, quod non durent fructus, quando Religioſus indevotè accedit ad S. Euchariſtiam, ſeque tum ante, tum poſt ſumptionem citò confert ad profanas occupationes. Una enim

ſo-

sola, & unica Communio benè & sanctè peracta sufficiens est ad hominem perfectum reddendum, uti dicebat B. Magdalena de Pazzis, & confirmat S. Dyonys. Areopag. *Verus ad sacra percipienda accessus, id accedentibus tribuit, ut ex communione Dominica ad DEI similitudinem, atque consortium transeant.*

Sexta est, neglecta renovatio præcipuorum propositorum, mirum enim in modum juvant, si quotidie renovantur aliquoties. Primò, post meditationem Secundò, post examen conscientiæ. Tertiò, post sacrum Quartò, dum è cubiculo ad aliquem locum remotiorem pergis, aut post prandium ante Venerabile; dicito ad IESUM sub speciebus panis, velatum. *O pÿssime JESU, ego tibi offero cogitationes, verba, opera, renovo mea vota, & dedico tibi, ac repeto omnia mea bona proposita.* Quia vero singula renovari nequeunt, 4. sæpè renova, quæ sunt velut radices cæterarum virtutum, quæ vocat S. Ioannes Climac. grad. 26. *Virtutum Matres.* Primum, fugere peccata, & violationes Regularum. Secundum, facere benè omnia opera ordinaria, præsertim Meditationem, Examina, & Recreationem. Tertium, æquo fere animo, omnia quæ displicent amori proprio, uti sunt irrisiones, contemptus. Quartum, semper ferri ad perfectiora, hoc est curandi perpetuum in virtutibus progressum, sicut cum curas in studijs, & inter res bonas eligendi eam, quam agnoscis esse perfectiorem.

Quid faciendum post exercitia?

Die proxima Dominica, vel proxima die post exercitia in aliquo festo tibi, devotionique tuæ aptissimo, maximè verò ipso die ultimo Exercitiorum communica, aut sacrum persolve, offeresque imprimis pro gratiarum actione præstitorum luminum, & gratiarum. Secundò, pro impetranda efficatia Divinæ gratiæ, ut juxta proposita vivere valeas illa, quæ proposuisti. Demùm accepto Sacramento postquam devotiones debitas persolvisti offer ea in unione meritorum IESU Christi, ut his unita gratiam consequaris, ea ritè, & constanter omni in occasione exequendi. Deindè adi Superiorem tuum, aut spiritualem, eique præcipua tua proposita à te facta communica, ut hæc communicatio sit frænum aliquod, quo retinearis ne in defe-

ctus

ctus priores relabaris, sitque calcar te exstimulandi ad constantem eorum executionem, saltem metu, & pudore adactus, ne tibi exprobret Superior inconstantiam in bene cæptis, nam & talibus motivis te juvare debes, quæ apud Tyrones quandoque majorem vim habent, quàm alia supernaturalia.

Ultimò sciendum est, si habuisti socios, uti supra jam annotatum est, qui tibi erant scandalum, occasio, & causa libere vivendi, vel non vivendi secundum statum tuum, in primo cum eis congressu manifestè illis declara, quod te jam resolveris ad mutandam pristinam vitæ irreligiosæ normam. Hoc est S. Chrysost. consilium: *Quid faciam, inquit, aliqui, apud necessitatem inducentes, qualem necessitatem, ô homo? Discat omnis, quod omnia malles perpeti, quàm legem DEI transgredi, & ab inferenda necessitate desistent.* homil. 7. ad pop.

LITTERÆ QUÆDAM RELIGIOSO HOMINI VALDE UTILES.

Erga DEUM quatuor F. servanda sunt accuratè.

PRimò. Fugere omnia ea, quæ DEO displicent, scilicet peccata, & quasvis imperfectiones, ac violationes Regularum.

Secundò. Facere diligenter purâ intentione omnia, quæ DEO placent, uti sunt omnia opera nostra ordinaria, & quotidiana.

Tertiò. Ferre æquo animo omnia, quæ displicent amori proprio tanquam à DEO immissa (si mala non sint) vel permissa uti sunt injuriæ verborum, vel factorum ab alijs illatæ, reprehensiones, pœnitentiæ, licentiæ negatæ, accusationes falsæ, vel inordinatæ per recursum ad Superiorem mediatum, omisso immediato, sine justa causa dispositiones Superiorum de nobis, quo ad officia, & occupationes, & habitationem, & similia contra gustum nostrum.

Quartò. Ferri semper ad perfectiora, eligendo inter duo opera perfecta, illud quod perfectius est, & inter duo æquè perfecta id quod est conjunctum cum majore humiliatione, vel paupertate, vel confusione, & conformis vitæ Christi tot injurijs exagitatæ.

Erga

Erga Superiores quatuor.

Primò. Nunquam pete ab ullo Superiore occupationem specialem (si id à te Superior non exigat) sed te committe Divinæ providentiæ per Superiores tuos circa te declarandæ.

Secundò. Nunquam improbes facta, & dicta Superiorum, & dispositiones, quas faciunt in officio tuo de personis, & rebus.

Tertiò. Nunquam te excuses reprehensus ab eis, nisi ipsi te interrogent, & velint à te informari de re, de qua es accusatus, nisi fortè talis sit res, ob quam nisi te verè excusares posses dimitti ex tuo Ordine, vel si magnum impedimentum divinæ gloriæ sequeretur ex omissa excusatione.

Quartò. Nunquam detrecta ullam occupationem tibi à Superiore injunctam, nec ægrè feres si te mittat, quo non velles te esse missum, etsi nullam occupationem certam tibi assignet, sicut non ægrè ferres, si DEUS certe visibiliter tibi apparens, ita de te disponeret, quo ad omnia quomodo disposuit Superior ejus Vicarius, & ejus voluntatis interpres.

Erga Domesticos quatuor N.

Primò. Nunquam censures mente, & ore, dicta, facta, intentiones, omissiones domesticorum, sed excuses omnia ex charitate.

Secundò. Nunquam de absente quidquam dicas, quod non diceres de tuo charo, amico, & quod de te in simili occasione dici nolles.

Tertiò. Nunquam facto, vel verbo, vel gestu offendas, aut contristes Fratrem tuum.

Quartò. Non excuses te quando aliquid rationabile petit à te, sed juves illum, & facias, quando potes facere sine violatione illius Divinæ, vel humanæ legis.

Erga Externos quatuor N.

Primò. Nunquam ulli externo quidquam dicas, quod nolles à te dictum, si putares illum aliquando fore tuum, vel tui Ordinis, vel Congregationis inimicum.

Secundò. Nunquam ulli externo famulum, vel ancillam pro

servitio, vel Sponſam pro uxore concilies, quod vehementer cavit S. Ambroſ. & S. Auguſtinus.

Tertiò. Nunquam quicquam dicas, vel facias in aliena domo, quod poſſit etiam ſpeciem mali, & ſcandali præbere domeſticis.

Quartò. Nunquam offeras operam tuam ad tractanda externorum negotia, quæ putas non placitura Superioribus tuis.

Erga Te.

Primò. In cubiculo tuo ita in omnibus actionibus te gere, & in modo eas peragendi in quo non erubeſceres te inveniri à ſuperveniente Superiore, vel aliquo Viro gravi.

Secundò. Da operam, ut ſic perfectè vivas, ut ſis paratus mori ſemper morte ſubitaneâ ex improviſo, & Confeſſario non indigens.

Tertiò. Conare ut in fine hebdomadæ cujuſvis (ſi non potes in fine diei) invenias, & agnoſcas te profeciſſe in aliqua virtute.

Quartò. Peculiari ſtudio procura, ut omnes temporis partes tranſigas in operibus meritorijs vitæ æternæ, ac proindè omne otium fugias, & occupationes etiam bonas, ſed ad præſentem tuum ſtatum non neceſſarias, nec illi utiles.

EXERCITIUM,
Ingentis meriti, & efficaciæ, ſeu actus heroicus, & pactum cum DEO ineundum.

Ex Philippo Rovenio Archepiſc. Philip. in inſtitut. Chriſtianor. piet.

HOmo pius DEUM indeſinenter laudare, & modico labore plurimum mereri cupiens, hujuſmodi pactum cum DEO inire poteſt: nempè quod ad certa quædam ſigna, v. g. ſonitum campanæ, aſpectum cœli, tunſionem pectoris &c. (nam ſigna pro placito aſſumi, & multiplicari poſſunt) velit, & gratum habeat quodvis opus bonum, & DEO gratum quod unquam factum eſt, ſeu hodie fit, aut unquam deinceps futurum eſt, aut fieri poſſet. Item, toties ſeipſum velle DEO offerre, dole-

lere de peccatis, renovare propoſita, vota, DEUM adorare, laudare &c.

Vim, & valorem hujuſmodi actus à contrario colligere licet. Si quis ſtatueret ſecum, quoties audit campanam, cœlum reſpicit &c. toties ſe velle ratum, & gratum habere, quidquid unquam mali actum, vel agendum eſt, optaretque ſe ejus eſſe participem, quantæ is ſe culpæ obſtringeret! Hoc itaque ſi in malo tam efficax eſt, quidni idem bono applicatum immenſæ virtutis, & meriti erit? ſed en formulam hujuſmodi pacti.

O benigniſſime Pater miſericordiarum, DEUS, Dominus, ac Creator meus: ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia, in te enim vivimus, movemur, & ſumus, proindeque ſupremi jure dominij omnia ſerviunt tibi: Hinc & tuus ſum ego, uti nunc me ipſum trado tibi in ſervum perpetuum fœdere ſempiterno, ut omnia vitæ meæ momenta, & omnia quæ intra me, & citra me ſunt, benedicant Nomini tuo. Sed quia præſentis vitæ neceſſitates minus ſinunt mentem indeſinenter intendere laudibus tuis, hinc tale pactum tecum, mi Domine inire cupio.

Quoties cœlum ſuſpexero, vel pectus percuſſero, vel piam imaginem aſpexero. Quoties horologium, aut ſignum Miſſæ, vel elevationis Sacratiſſimæ Hoſtiæ percepero, Roſarium, vel librum in manus accepero. Quoties carnem, mundum, vel dæmonem, me in quacunque materia fidei, ſpei, charitatis, caſtitatis, patientiæ, humilitatis &c. tentantem ſenſero &c. Nunc pro tunc declaro, toties me facere, & exercere velle omni meliori, quo fieri poteſt, modo, & formâ actus hoſce ſequentes, & ſi fortè pro tunc ad hoc mente minùs adverterem.

Toties, inquam, gaudeo, & gratulor tibi ex animo ob infinitas perfectiones tuas, quòd ſis Qui Es, id eſt, DEUS ſummè potens, ſapiens, bonus, miſericors, juſtus &c. ſummum creaturæ rationalis bonum. Quod nullius egeas, utpotè te ipſo ſatis beatus, & ſufficiens tibi, noſtra autem omnis ſufficientia ex te fit. Gaudeo etiam, Domine propter opera bona, quæ unquam facta ſunt, hodie fiunt, fientque deinceps, propter amorem tui,

aliaque omnia, quæ fieri possent ab ijs quos creâsti, & creare potuisses, idque eâ, quâ possibile est perfectione. Gaudeo ob ea quæ Dominus noster IESUS Christus, Virgo MARIA, SS. Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, omnesque Sancti, & fideles omnes egerunt ad gloriam tuam, nec non ob amorem quo te æternum prosequentur, & laudes quas tibi in perpetuum dicent. Offero tibi omnia sancta Missæ sacrificia, quæ vel hactenus in Ecclesia peracta, vel deinceps usque ad consummationem sæculi peragenda sunt, idque animo adorandi, & laudandi te, uti DEUM supremæ Majestatis, potentiæ, sapientiæ, bonitatis &c. Item gratias tibi agendi, nec non placandi te, & bona gratiæ, & gloriæ impetrandi à te. Doleo de peccatis meis omnibus, & singulis ex animo propter amorem tui. Spero de infinita misericordia veniam. Propono cum gratia non amplius offendere te. Doleo quoque ob tot peccata à mundi initio hucusque à quocunque homine commissa, ijsque te tam graviter offensum. Opto ex animo ut compensari aliquatenus meo sanguine possent. Utinam vice cujusque peccati singulis æternitatis momentis mille tibi obsequia à Sanctis Angelis, & omnibus Beatis deferantur. Dimitto ex animo amore tui, omnibus qui me offenderunt, vel quomodocunque læserunt, & opto illis pro singulis offensis, à te peculiarem aliquam gratiam, seu beneficium. Et utinam nunquam ipsi tuam offensam incurrant. In manus tuas commendo me, & omnia mea, præsertim finem vitæ meæ, ut disponas de me, uti re maximè tuâ, in tempore, & æternitate, quod tibi placuerit, & visum fuerit fore ad majorem gloriam tuam. Postremò offero tibi quidquid possum melius, & meliori modo, præcipuè verò vitam, passionem, & sanguinem Domini nostri IESU Christi in gratiarum actionem pro beneficijs omnibus corporis, & animæ, quæ à te hactenus accepi, & deinceps accipiam, præsertim pro charitate, quâ ab æterno dilexisti me. Et pro dono perseverantiæ obtinendo, ut tibi inseparabiliter adhæream. Hunc ipsum actum quo ad singula membra, aliaque his implicitè inclusa, toties factum esse volo, quoties aliquod è signis præstitutis, vel præstituendis ediderò: imo tot vicibus, quot creaturæ productæ sunt à te, aut

pro

produci possunt: quoties spiritum duxero. Denique quoties possibile, vel imaginabile est idipsum iterari, ac multiplicari. Atque hoc purè ob amorem tui, omnesque bonos, ac Sanctos fines, qui ab ullo haberi possent. Domine quod dixi, dictum factum, gratum, ratumque volo, affectu, effectu, fructuque quoad licet maximo. Hunc actum hâc formâ prolixiore, semel in die præsertim manè, vel ante, seu post sacrum exercere sufficit. Sed sæpissimè ad signa constituta repetatur, quod haud erit difficilè, cum sola, & unica mentis directione, seu reflexione fieri possit. Item dicendo: ô IESU, vel ô DEUS meus, & omnia.

INDEX MEDITATIONUM.

PRIMO DIE.

SECUNDO DIE.

TERTIO DIE.

Exer-

FINIS.

